GUIDI ANGELI
POGGII
I. C.
CASSIANENSIS AD VITIM

ELEMENTA
IURISPRUDENTIAE CRIMINALIS
LIBER SECUNDUS.

Custode rerum CAESARE, *non furor*
Civilis, non vis eximet otium.
Horat.



FLORENTIAE M. DCCC XVI.

EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI DADDII
in vico omnium Sanctorum
Superiorum permissu.
Prostant apud Franciscum Alexandri.

Google

Qui ratione punire aggreditur, non praeteriti sceleris causa punit; neque enim assequi potest, ut quod est factum sit infectum; sed futurum respicit, ne iterum aut ipse, aut alius quilibet exemplo ejus adductus delinquat.
Plat. Protagor.

. . . . Diis proximus ille,
Quem ratio, non ira movet, qui facta rependens
Consilio punire potest . . . .
Claudian de Consulat. Mall.

Google

TABULA CAPITUM LIBRI II.

ELEMENTA
JURISPRUDENTIAE CRIMINALIS
LIBER II.

De Delictis, quae ad Majestatem sive Divinam, sive Humanam referuntur.

§. I. Nihil Religione sanctius, nihil Societate praestantius (1); illa Homines Divini supplicii metu a sceleribus revocat, quae ipsi quandoque impunia sibi fore ab humana vindicta confiderent (2), neque inferiores tantum, sed Summos quoque Viros in officiis continet (3); haec eorum silvestrem, et quasi ferinam vi-

(1) „ Nihil est (inquit *Cic. in somn. Scipionis cap.* 3.) illi principi Deo, qui omnem hunc „ Mundum regit, quod quidem in terris fiat ac- „ ceptius, quam concilia, coetusque Hominum „ jure sociati, quae Civitates appellantur „

(2) Qui enim peccare non ódit virtutis amore, cujus Religio est basis,
Sit spes fallendi, miscebit sacra profanis.
Horat. epist. 16. *Lib.* 1.
Hinc etiam *Cic. de Legib. Lib.* 1. *cap.* 14. „ Quid faciet Homo in tenebris, qui nihil ti- „ met, nisi testem, et Iudicem? „

(3) Nam secus

tae rationem (4) ad jucundiorem, utilioremque perduxit: Utraque morum disciplina regitur, justi, et injusti confinia statuuntur, atque ita porro quae nobis mala primi Parentis lapsus comparaverat, utriusque praesidio tolerabiliora redduntur.

II. Acturi igitur de delictis speciatim, ab illis exordium sumendum duximus, quae directe (siquidem reflexim omnia) Religioni adversantur, vel ordini, quo Societas regitur, quaeque propterea ad Majestatem sive Divinam, sive Humanam, ut alibi diximus, referuntur. Ad primam delictorum classem pertinent Blasphemia, Perjurium, Sacrilegium, Sepulcri violatio, Apostasia, Haeresis, Schisma, Sortilegium, Simonia: Ad alteram classem Perduellio, Vis publica, Auctoritatis publicae abusus, Repetundae, Fumi venditio. Ambitus, Calumnia, Exemptio Reorum, Carcer privatus. De hisce omnibus separatis capitibus dicendum erit.

Pone seram, cohibe, sed quis custodiet ipsos
Custodes?

Iuvenal. sat. 6.

(4) Volgivago vitam tractabant more ferarum;
Nec robustus erat curvi moderator aratri
Quisquam; nec scibat ferro molirier arva;
Nec nova defodere in terram virgulta; neque altis
Arboribus veteres decidere falcibu' ramos:
Quod Sol, atque imbres dederant, quod terra creatat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum.

Lucret. de rer. natur. lib. 5.

CAPUT I.

De Blasphemia .

III. **B**lasphemia graecum vocabulum, quod primi Ecclesiae Patres in Latium transtulerunt, idem sonat, ac famae laesio, convicium, obtrectatio nefaria; hic autem „ quidquid impie de Deo dicitur „ Deum non esse majus omnium est nefas, quod humana mens excogitare, et lingua evomere possit: Dum interim tota Universi facies, atque ordo mirabilis, dum, quod ipsi sumus, Numen Aeternum, Omnipotentem, Naturae Auctorem nobis renuntiant, et apertissime testantur (1), inter im-

(1) Ita adversus *Philodemum* id impie blaterantem

. . . . . . nostra est dementia Caelum,
Nostraque de Caelo fecit formido Tonantem.

indignatus *Sectanus*, seu *Sergardius* haec habet

Vivit, io, Deus; et quamquam sis perditus amens,
Non tamen ex animo poteris divellere Numen
Cognatum: Quodcunque vides, quodcunque movetur
Est Deus, et grandi vestitur imagine Mundus:
Audi: Quid certo redeuntia sidera gyro,
Et verni flores, et laeto murmure rivi,
Et quaecunque virens agitatur flatibus arbor,
Quid nobis, muto quamvis sermone, loquuntur?
Si nescis, clamant: Non est haec machina casus
Fortuiti, aeterna sed fluxit condita Mente,
Factorisque sui surdis miracula narrat.

Sat. 2. *lib.* 1.

atque ita *Cic. de nat. Deor. c.* 2. *lib.* 2. „ Quid enim „ potest esse tam apertum, tamque perspicuum,

pios vecordissimus (2) merito habendus est, qui aliter sentiat, neque aliter fortasse in corde sentit, quidquid Atheos, vel potius talem se jactitans, dictitet ore. Deum optime de Hominum genere mereri, et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat intueri, proborumque, et improborum habere rationem (3), si quis negare ausit, aeque impius habendus est: Ipsa enim animae nostrae immortalitas, de qua ne inter Ethnicos quidem sapientiores Philosophi dubitaverunt unquam (4), et impares in hu-

„ cum Caelum suspeximus, caelestiaque contem-
„ plati sumus, quam esse aliquod Numen prae-
„ stantissimae mentis, quo haec reguntur? „

(2) *Psalm.* 13. „ Dixit insipiens in corde suo: Non „ est Deus „ Nulla Gens est (inquit *Cicero de legib. lib.* 1. *cap.* 8.) neque tam immansueta, „ neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret „ qualem habere Deum deceat, tamen habendum „ sciat „

(3) *Cic. de legib. lib.* 2. *cap.* 7., *Plutarch. de commun. notit. adversus Stoicos* „ Non enim immortalem modo, et beatum, sed et Hominum „ studiosum, curamque eorum gerentem, et „ commodantem intelligi Deum, quod quidem „ est verum „

(4) Materialem quidam errore ducti crediderunt, mortalem nemo, Stoicis exceptis, non omnibus tamen, sed qui *Stratonem* Lampsacenum sequuti sunt, Democriticis, atque Epicureis: Caeterum Chaldaei, Persae, *Plato*, *Xenocrates*, *Aristoteles*, et tot alii immortalem, nec materialem animam enixe professi sunt *Soria opusc. Philosoph. lib.* 1. *dissert.* 1.

Digitized by Google

manae vitae cursu vicissitudines satis, superque nos evincunt „ aliquod expectandum post „ hanc vitam judicium (sic inter alios Grotius) ne aut insignis improbitas sine poena, „ aut magna virtus sine solatio, praemioque „ maneat „ (5). Quae cum ita sint, quanto etiam impior ille erit, qui in Catholicae Religionis nostrae sinu, Divinitus nobis revelatae, feliciter natus, et adultus blasphemias hujusmodi pronuntiare audeat?

IV. Hasce autem impietates, et caetera omnia, quibus Religio violatur, ideo Lex civilis in criminum classem recensuit, et persequi voluit, non quasi Divinitatis vindex, ad hanc enim vindictam solus Deus par est, non miseri mortales (6), sed quatenus ordini, quo Societas regitur, adversantur, cujus Religio firmissimum est fulcrum, et vinculum, sive, ut ait *Carrardus* (7), melius, quod unquam haberi possit, humanarum virtutum vadimonium. Quapropter quicunque profanus in Religionem quomodolibet intentat, Societatem eodem tempore perturbare instar hostis, et subvertere aggreditur, et ordinem, sub quo hoc, quod datum est vitae, tranquille, placideque

(5) *De veritate Relig. Christ. Lib.* 1.

(6) Hoc sensu accipiendum illud *Tiberii* apud *Tacit. annal. l.* 1. *cap.* 73. „ Deorum injurias Diis „ curae „, Vid. *Montesq. espr. des loix livr.* 12. *chap.* 4., *Wattel. Iur. Gent. lib.* 1. *cap.* 12. §. 183.

(7) *Iurisprud. crim. part.* 1. *Sect.* 1. *artic.* 1.

Google

traducimus. Hinc nescio, qua fronte *Brissot*. (8) principiis *Baylii* imbutus fortasse crimen hoc in ultimam classem trajiciens minus ordini sociali noxium praedicaverit: Iis porro omnibus, qui, ut ait *Pufendorfius* (9), Religioni vel nihil, vel parum hac super re indulgentes ita sibi fortasse sublimitatem quandam politicae captare intendunt, apprime respondet egregius nostrorum temporum Orator sacer, Carmeli honor, et decus (10).

(8) *Theor. des loix crim. sect.* 3.

(9) *De offic. Hom. et Civ. lib.* 1. *cap.* 4. §. 9.

(10) *P. Evasius Leonius* „ Togliete la Religione (inquit ille) su quali basi fonderete voi, sublimi Legislatori, le vostre leggi? Sui premj „ certamente, sulle pene, su gli onori, sull' infamia, su gli applausi, o su i supplizj. Ma „ chi mi obbligherà ad ubbidirvi, allorquando „ non mi curerò degli onori, e delle ricompense, o quando mi lusingherò di sfuggire alle pene? Le vostre Leggi potranno elleno seguire il voluttuoso, che nei nascondigli di „ un appartato gabinetto sacrifica l'innocenza, „ o la fedeltà del talamo ad una passione brutale? Potranno seguire l'Omicida vendicativo „ nell' oscurità di una selva, ovvero nel bujo di „ una notte? Il ladro in mezzo ad una strada solitaria? . . . . . . Ma la Religione, voi dite, „ non toglie affatto questi delitti: Ebbene, ella „ almeno lor pone un freno di più. Se colla „ Religione innanzi agli occhj ancor vi possono „ essere degli Omicidiarj, dei Ladri, dei Libertini, ve ne saranno forse di meno, allorchè essi avranno soltanto ad occultare al guar-

V. Nec solum quidquid impie de Deo dicitur, sed etiam quidquid impie fit adversus Deum blasphemiam esse definiunt Iuris nostri Scriptores (11): Latiori tamen sensu; nam strictius, et juxta ipsum nominis etymon (12) blasphemia ad verba potius, quam ad facta refertur; ideoque, si quid impie adversus Deum fit, magis proprie impium factum appellandum existimo; quod idem sensisse videtur Lex nostra (13). Verbis tamen, non etiam cogitatione civiliter hoc crimen contrahitur; atheos enim, siquis est, et impius in corde, qui sibi sectatores nec quaerit, nec minimum curat, solum Deum, ut alibi innuimus, habet ultorem (14).

VI. Blasphemia alia directe respicit Deum,

„ do umano i loro delitti? „ SS. autem Religioni nostrae ipse jam notus Genevensis Philosophus hoc laudis tributum impertiendum fatetur in *Aemil. lib.* 4. *not.* 41. „ Nos Gouvernemens modernes doivent incontestablement „ au Christianisme leur plus solide autorité, et „ leurs revolutions moins frequentes; il les a „ rendus eux memes moins sanguinaires.... a don„ ne plus de douceur aux moeurs „.

(11) *Cremani. de Iur. crim. lib.* 2. *cap.* 2. *artic.* 2. §. 1. *Renazz. elem. Iur. crim. lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 1. §. 1.

(12) Vid. *Fresn.*, et *Schrevell. in verb.* βλασφημία

(13) *Cod. Leopold.* §. 60.

(14) *Lib.* 1. *cap.* 1. §. 5., *Lampred. Iur. publ. univers. part.* 2. *cap.* 3. §. 6., *Filanger. scient. Legislat. lib.* 3. *cap.* 44.

quam immediatam, alia minus directe, quam mediatam dicunt, quamque ad Christi Matrem Immaculatam, Divosque Caelestes referunt (15): „ Sicut enim in Sanctis suis (ait *Saccus*) Deus laudatur; ita et in Sanctos „ Blasphemia emissa in Deum redundat „ (16). Directe porro Blasphemus non solum ille est, qui Deum esse, ut diximus, negat, vel Ipsum nihil de rebus humanis sollicitum cum Epicureis dictitat; sed etiam, qui Deo tribuit, quae a perfectissima Illius natura aliena sunt, vel attributa Ipsi inhaerentia inficiatur, et abrogare contendit; sicut et qui inter vecordes vecordissimus malum aliquod, ipsum etiam interitum Deo imprecatur (17). Blasphemus pariter dicitur, qui caetera, quae ad fidem pertinent, abnegat, et quae magis proprie haeresim sapiunt (18); sicut, licet minus proprie,

(15) *Bohemer. elem. jurisprud. crim. Sect.* 2. *cap.* 2. §. 34.
(16) *Instit. Jur. canon. lib.* 4. *tit.* 5. Hoc ipsum inter Ethnicos agnovit *Plato lib.* 7. qui inscribitur *Minos*, *vel de Lege* „ Cavendum est (sic ille) ne quid in Deum aut verbo, aut „ opere aliquando peccemus; deinde, ne quid „ adversus Divinos Homines. . . . Deus „ quippe nimium indignatur, quoties quispiam „ illius similem improbat, aut probat dissimilem „
(17) Hinc orta communis divisio in Blasphemiam imprecativam, ut dicunt, attributivam, et derogativam, *Creman. d. artic.* 2. §. 3.
(18) Hinc altera divisio in simplicem, et haereticalem.

qui aliqua, utcunque vera, de Deo asserit, sed tamen vel per convicium, vel per dehonestantem audaciam (19): Tandem quasi blasphemus habetur, qui impudenter, indecore, et per quandam, ut ita dicam, lasciviam Sanctissimum Dei nomen temerato ore pronuntiat.

VII. Sicuti verbis, ita pariter scriptis blasphemia emittitur (20), atque haec proculdubio in Societatem periculosior; segnius enim irritant animos, in eosque imprimuntur demissa per aurem, quam quae subjiciuntur oculis, et quae ipsa sibi continuo sensus hujusce praesidio tradit Lectoris mens. Quae cum ita sint; non immerito *Renazzius* exclamat (21), atque irritatur adversus effraenatam temporum nostrorum licentiam, quod impune quasi libri serpant in vulgus, et prae manibus praesertim Iuvenum, quorum animae pronius inficiuntur, impiarum id generis doctrinarum referti; dum interim, si non majori, aequali profecto animadversione digni censendi sunt, qui inter Nos edunt, vel edita introducunt scienter, et dolose ab exteris Plagis veneficas hasce lectiones modo elatas declama-

(19) Hanc autem Blasphemiam dehonestativam dicunt, velut illud Iudaeorum in Christum „ Vah qui destruis Templum Dei, et in triduo „ illud reaedificas „ *Matth. cap.* 27. *v.* 20.

(20) Quemadmodum etiam pictura quae tacitum poema dicitur, *Rhetoric. ad Herenn. Lib.* 3. *cap.* 28.; idem de idolis, seu statuis dicendum.

(21) *D. cap.* 1. §. 6. *n.* 2.

torio stilo, modo sub callido involucro verborum fraudulenter reconditas.

VIII. Crimen hoc, sicut et Sacrilegium graviter vindicatum legimus apud Romanos; ad ultimum usque supplicium blasphemis edixit poenam *Iustinianus* (22), quae poena manebat etiam Hebraeos (23): idipsum obtinet apud Nos, quoties publice, et improbo consilio blasphemus, et alius quicunque profanus hac super re peccet (24), secus vero, ubi ex ignorantia, ebrietate, aut subita concitatione (25); qua enim ratione animi pravitas aut decrescit, aut deficit, hac ipsa, ut alibi diximus, et imputationis quantitas. Quid autem, si criminis hujus insimuletur aut Ethnicus, aut alius quilibet, qui falsam Religionem tanquam veram profiteatur? Quoniam delicta id generis praecipue Lex, ut jam dictum est, persequitur, quatenus ordini, quo Societas regitur, adversantur, communemque tranquillitatem perturbant, ideo pari animadversio-

(22) *Authentic. ut non luxurientur Novell.* 77. Varia poenarum genera Blasphemis indicta apud exteras Gentes recenset *Bohem d. cap.* 2. §. 37., inter quae linguae abscissionem, aut notationem ferro candente, quae ipsa poena etiam in Hetruria statuta legitur ex *Edict.* 8. *Jul.* 1542.

(23) *Levitic. cap.* 24. *v.* 16.

(24) *Cod. Leopold.* §. 60. 61., *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 9.

(25) Tunc poena carceris, aut alia, quae Legibus Politiae conveniat, ex ipso *Cod.* statuta est.

ne digaos quicunque, et cuicunque Religioni addictus censendus est, qui inter Nos publice, et impio consilio super his delinquat, quemadmodum aequabiliter sive civis, sive peregrinus plectebatur apud Hebraeos (26).

CAPUT II.

De Perjurio

IX. Dolosa juramenti, seu melius jurisjurandi violatio, est perjurium (1): Sacrilegii speciem declarat *Paolettus* hoc crimen (2): Blasphemiae instar *Iustinianus* (3), nec forsan immerito: Cum enim jusjurandum sit religiosa affirmatio, qua aliquid Deo teste asseritur, aut promittitur (4), qui interim pejerat „ facto saltem (sic *Lampredus*) negat „ Deum esse et arcanorum scrutatorem, et „ scelerum vindicem „ (5).

(26) *Levitic. loc. cit.* „ Et qui blasphemavit nomen Domini morte moriatur; lapidibus obruet „ eum omnis multitudo, sive ille civis, sive „ peregrinus fuerit „

(1) *Bohemer. l. cap.* 2. §. 40.

(2) *Instit. crim. lib.* 1. *tit.* 4.

(3) *D. Novell.* 77.

(4) Ita *Cic. de offic. lib.* 3. *cap.* 29.

(5) *Iur. public. univers. part.* 1. *cap.* 9. §. 9., cui adhaeret *Creman. d. cap.* 2. *artic.* 3. §. 1.: Sed quoniam generaliter, qui pejerat, non eo consilio, quo impius Blasphemus delinquit, idcirco mitius etiam punitur, nisi falsitatis momentum aliter suadeat.

X. Iusjurandum vel ad futura refertur, vel ad praeterita, aut praesentia (6): Priori casu perjurium contrahitur vel statim, ubi animo fallendi promissio emissa fuerit, vel certe eo ipso tempore, quo promissionem implere detrectat qui juraverat. Non tamen perjurii argui poterit qui adversa Legibus inscienter promiserit, et dein certior factus, implere recuset; hujusmodi enim jusjurandum servare turpius est, quam violare (7). Quod si juraverit sciens, coercendum existimat *Matthaeus* propter temeritatem jurandi (8); Deum enim testem temere dictis suis advocare, ut ait *Lampredus*, Hominis est impii, et suspectae fidei (9). Quid autem, si metu coactus, aut etiam dolose circumventus? Neque hoc casu perjurii civiliter argui potest qui promissa non implet (10), licet apud Deum prior fortasse peccet (11).

XI. Triplici modo perjurii crimen contrahi potest, cum ad praesentia, vel ad praeterita jusjurandum dirigitur; quando videlicet falsa, tanquam vera asseverantur; quan-

(6) Promissorium alterum DD. vocant, assertorium alterum *Ursay. instit. crim. lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 6.

(7) *Renazz. d. lib.* 4. *cap.* 2. §. 3.

(8) *Lib.* 47. *ff. tit.* 16. *cap.* 1. *n.* 7.

(9) *D. part.* 1. *cap.* 9. §. 10.

(10) *Authentic. Sacramenta puberum Cod. si adversus venditionem*.

(11) *Decian. tract. crim. lib.* 6 *cap.* 11. *n.* 20. 28., *Matth. loc. cit. n.* 5., *Renazz. loc. cit.*

do sicut falsa, quae vera sunt; et quando quae vera dissimulantur, et quidem scienter, et dolose (12).

XII. Neque porro perjurii notam evadere potest qui mentem injuratam gerere intendit, dum interim lingua jurat juxta illud *Euripidis* „ Iuravi lingua, mentem injuratam gero „ (13); nam, ut sapienter inter alios animadvertit *Fagnanus* (14) „ quae fides erit „ Sacramenti, si illius veritas pendet ex sub„ audito intellectu mentis audienti occulto, „ et impenetrabili? „; satis aliunde notus est textus (15). „ Omnis, qui jurat, ad hoc ju„ rat, ut quod verum est loquatur „, quemadmodum satis nota inversae doctrinae rejectio, ut liquet ex propositione 26. inter damnatas a Summo Pontifice Innocentio XI. (16).

XIII. Poena perjurii, quod promissorium dicunt, nulla exstat apud Nos; alterius speciei perjurium, ubi in Accusati perniciem versetur, poena ipsa calumniae plectitur (17); se-

(12) *Paolett. d. lib.* 1. *tit.* 4.

(13) *Apud Cic. de offic. lib.* 3. *cap.* 29. Id autem, ut fabulae inserviam, *Cydippae* accommodari melius potuisset, quae curiositate more foeminarum *ἐξύπαν* legit solummodo jurantia verba, quapropter *Dianae* vindictam immerito experta est *Ovid. Heroid. epist.* 21.

(14) *In cap. falsidicus* 1. *de crimine falsi n.* 133.

(15) *Can. juramenti caus.* 22 *quaest.* 5.

(16) *Constit. edit. sub anno* 1679. 2. *Mart.*

(17) Haec apud Hebraeos erat talionis *Deutero-*

cus alia mitiori; idque ipsum obtinet, sive in criminali, sive in civili Iudicio quis pejeraverit (18): Gravior antea in Hetruria vigebat perjurii poena, talionis videlicet, publicationis bonorum, et infamiae, si in criminali Iudicio pejeratum fuisset non tam adversus Accusatum, quam etiam illius favore, adeo quidem ut poena illa maneret perjurum, quae aliter Accusatum mansisset; si vero in Iudicio civili, poena erat triremium, aut alia inferior juxta Causae momentum, et simul infamia (19). Capitis poena in perjuros sancita ab Aegyptiis fuerat, ut testatur *Diodorus* (20) „ tanquam qui duo (sic ille) committerent flagitia, quod et pietatem in Deos violarent, et „ fidem, maximum humanae Societatis fundamentum, everterent „ Infamia censoria liberis Romae temporibus notabantur perjuri, quo pertinet illud *Ciceronis* (21) „ Perjurii

nom. cap. 19. *v.* 19. „ reddet ei, sicut fratri „ suo facere cogitavit „

(18) *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 2.

(19) *Leg.* 10. *Ianuar.* 1680.: Statutum vero Florentinum antiquius multo *Rubr.* 137. *Lib.* 3. pecuniariam decreverat multam, et iis, qui non solvendo, manus amputationem, et quandoque etiam linguae, adjecta semper infamia; linguae abscissione plectebantur pariter perjuri apud Graecos *Harmenopol. prompt. jur. lib.* 1. *tit.* 7.

(20) *Histor. lib.* 1. *cap.* 77.

(21) *De offic. lib.* 3. *cap.* 31., *Gell. noct. Attic. lib.* 4. *cap.* 20., *et lib.* 7. *cap.* 18.

„ poena Divina exitium, humana dedecus „; Ut autem Censorum auctoritas, quorum hoc officium, in desuetudinem abiit, crimen istud inter extraordinaria adscitum, praeter infamiam, et dignitatis jacturam, vindicari quandoque coepit fustibus, superaddito elogio „ petulanter ne jurato „ sive per Deum sive per Principis genium juratum fuisset (22); Caeterum perjurii poenam satis Deum ultorem habere, ut Imperator *Alexander* rescripserat (23), id ad inconsulta, et calore facta perjuria referendum est, ut observat *Matthaeus* (24).

XIV. Quaeri fortasse posset, num falsae Religioni addicti eadem poena teneantur, ut caeteri, et teneri civiliter ne minimum quidem dubitandum videtur: Cum enim crimen hoc, sicut reliqua id generis, ideo Lex praecipue persequatur, quatenus ordini, et tranquillitati publicae infensa, quaecunque demum jurantis Religio sit, ubi eo ritu jusjurandum emiserit, quo ipse utitur (25), quodque Lex approbat (26), quandoquidem tunc illius te-

(22) *Leg. quod si ff. de dolo, leg si duo Patroni § finali ff. de jurejurando, leg. siquis major Cod. de transactionibus, leg. quoties Cod. de dignitatibus.*

(23) *Leg. 2. Cod. de rebus creditis.*

(24) *D. cap. 1. n 1.*

(25) Vid *Hobbes de Cive cap. 2. §. 21.*

(26) *Cod. Leopold § 12., Gloss in leg. non erit ff. de jurejurando verb. propria.*

stimonium caeteris aequiparatur, aequali ipso propterea plectendus poena, si mendax (27). Interim animadvertisse juvat criminis hujus frequentiam, de qua inter alios *Renazzius* conqueritur, ex nimia fortasse jurisjurandi frequentia originem trahere: Optandum igitur, ut parcior, quoad fieri potest, jurisjurandi sit usus, quemadmodum apud Nos, ut alibi vidimus (28): Ea profecto ratione jurisjurandi necessitatem ulterius etiam restrinxerat in suo Codice Imperator *Leopoldus* (29).

CAPUT III.

De Sacrilegio.

XV. Quodlibet factum, quo Deus, aut Religio despectui habetur, Sacrilegium dicitur; vulgata haec est, ut ait *Simonius* (1), criminis definitio: Rei Sacrae violatio, vel ejusdem usurpatio definitur crimen a *Baldo* (2): *Quintilianus* proprietatem nominis strictius

(27) *Farinac. quaest.* 160. *n.* 284., *Matth. d. cap.* 1. *n.* 4., omissa etiam *Augustini* doctrina ex *can. movet te d. caus.* 22. *quaest.* 1., quo bis peccare dicuntur qui per Idola jurant, et fallunt.

(28) *Lib.* 1. §. 63. 64.

(29) *Cod. Leopold.* §. 6. 7., *Creman. d. artic.* 3. § 5.

(1) *De delict. mer. affect. part.* 2. *cap.* 12. §. 16.

(2) *Leg. si nondum Cod. de furtis n.* 7.

sequutus rei sacrae furtum sacrilegium intelligit (3), legere enim, et surripere non raro idem sonat apud Latinos (4).

XVI. Tres sacrilegii species, ratione videlicet personae, loci, et rei, distinguunt rerum criminalium Scriptores (5): Et quidem rationae personae, cum vis infertur Sacerdotibus, aut Virginibus Deo sacratis: Ratione loci, quoties ipsi loco sacro injuria quaevis illata fuerit: Ratione denique rei, cum sacrae, aut religiosae res surripiuntur. Ita quippe ex Romani Iuris principiis, a quo insuper sacrilegii instar habetur dubitare, an ille sit dignus, quem Imperator elegerit (6), quemadmodum et ejus Provinciae, unde originem quis ducit, administrationem petere (7), quae tamen quasi sacrilegii species superstitiosam temporum caliginem satis, superque, ut opportune animadvertit *Simonius*, testantur (8).

XVII. Ad alias omnes sacrilegii species quod spectat, quas censuris, aliisque similibus poenis coercet Ius canonicum (9), ita de-

(3) *Instit. orat. lib.* 7. *cap.* 4.

(4) Sic *Virgilius Aeneid. lib.* 10. „ Quid Soceros „ legere „, *Horat. sat.* 3. *lib.* 1. „ Divum sacra „ legerit „, *Plaut. in Pseudol. act.* 1. *scen.* 4. „ horum sermonem legam „

(5) Inter tot alios *Decian. d. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 2.

(6) *Leg. disputare Cod. de crimine sacrilegii, leg. sacrilegii Cod. de diversis rescriptis.*

(7) *Leg. nequis Cod. hoc tit.*

(8) *D. cap.* 12. §. 19.

(9) *Sacc. instit. jur. canon. lib.* 1. *tit.* 23., *et lib.* 4. *tit.* 5.

mum istae apud Nos crimen constituent poenis, quae illius atrocitati respondeant, vindicandum, quoties impium illud propositum, quod alibi innuimus, in delinquente manifestum appareat. Hinc vere sacrilegus habebitur qui Sacerdotem, quatenus incruenti Sacrificii Ministrum, percusserit, vulneraverit, occiderit, vel Sacram Virginem pari, aut alia quacunque in uria affecerit, quatenus Deo solemniter dicatam; ita pariter qui impio ejusmodi consilio Ecclesiam, vel Altaria effregerit, spoliaverit, incenderit, sanguine, aut semine humano polluerit, vel alio quocunque modo profanaverit (10); tandem, et multo magis, qui Eucharistiae Sacramentum (11), sicut et caetera omnia violaverit, Divina Mysteria turbaverit, aliasque id generis impietates perpetraverit palam: Sacrilegi isti a blasphemia vix, ac ne vix quidem differunt, et pari idcirco poena plectendi sunt (12). Huc autem referri possunt Sacerdotes, qui Ministerio abusi inique fuerint (13), quemadmodum et illi, qui Sacerdotium simulantes Sacra characteri inhaerentia expleverint (14).

(10) *Paolett. d. lib.* 1. *tit.* 1.
(11) *Decian. d. lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 2.
(12) *Cod. Leopold.* §. 60, *d. leg.* 30. *August.* §. 9., Vid. *leg. si quis in hoc Cod. de Episcopis*.
(13) *Creman. d. lib.* 2. *cap.* 2. *artic.* 6. §. 7., *Paolett. loc. cit.*
(14) Delinquentes id generis tanquam haeresis labe infectos, et quasi Idolatras ex Principum

XVIII. Ubi vero consilii improbitas absit; personae, loci, aut rei qualitas delictum quidem, illius videlicet quantitatem, augere poterit, non tamen speciem immutare saltem in Foro nostro: Nam, ut opportune animadvertit *Filangerius* (15), sedulo distinguendum est, utrum violatio rei, loci, aut Personae Sacrae sit finis actionis, an potius ejusdem effectus, ut primo solum casu, non ita in altero, vere sacrilegus, profanus, et impius haberi delinquens possit, et poena crimini indicta puniri, eadem videlicet, quae blasphemos manet, ut superius innuimus.

CAPUT IV.

De Sepulcro violato.

XIX. Quoniam quasi sacrilegus, et sacrilego proximus habetur Sepulcri violator (1) ex Romanorum Iure, apud quos summa hac

constitutionibus declarat *Sanfelic. decis.* 239. varios referens casus, quibus in Regno Neapolitano decurrente saeculo XVII. a Curia Ecclesiastica Seculari traditi laqueo suspensi fuere, eorumque cadavera flammis combusta: Duo pariter ejusmodi exempla apud Nos iis fere temporibus habet *Sabell. pract. crim.* §. *Eretici*. Isti Sycophantae praecipuo lucrifaciendi consilio deliquisse videntur.

(15) *Scient. Legislat. lib.* 3. *cap.* 44.

(1) *Leg. pergit audacia Cod. de Sepulcro violato.*

super re religio, ut ne mingere quidem propius licitum (2), ideo de hoc crimine, quod etiam laesae Religionis dicitur (3), hic sermonem faciendum duximus. Violare autem sepulcrum dicitur qui quemcunque sepulturae locum violat; quicunque enim locus huic usui electus, et addictus sepulcrum intelligitur (4).

XX. Multifariam violari possunt sepulcra, illa videlicet destruendo, eorum ornamenta, columnas, marmora, aut insignia quaelibet auferendo, ipsa cadavera spoliando, aut extrahendo, sicut ossa, et cineres; ita pariter violare dicuntur qui alieno in sepulcro habitaverint, aedificaverint, vel cadavera quo testamentum vetuerat tumulaverint; item qui cadavera tradi sepulturae impediverint, ut creditorum in more fuit apud Romanos, eadem contrectaverint, vel quid aliud injurii id generis perfecerint (5). Quamobrem violati se-

(2) Hinc *Horat. art. poet.*
. . . . utrum
Minxerit in patrios cineres . . . . . .

(3) *Leg. res religioni, et ibi Gloss. in verb. crimen Cod. eod.*, *Brunnemann. in d. leg. pergit*, *Gothofred. Cod. Theodos. lib. 9. tit. 17. ad leg. 4. et 5.*

(4) *Leg. Praetor ait §. Sepulcri ff. de Sepulcro violato.*

(5) *D. leg. Praetor ait*, *leg. Rei Sepulcrorum ff. eod.*, *leg. Ossa*, *leg. ne corpora ff. de religios. et sumpt. funer.*, *leg. qui sepulcra*, *leg. cum sit Cod. de Sepulcro violato*, *leg. 1. §. eos ff. de injuriis.*

pulcri actione argui posset qui foeminam fato functam libidinis causa cognoscere non erubuisset (6), quod tamen nefas, quo se olim inquinasse tradunt Magni Nominis Imperantem, etiam aliunde animadversione dignum fore nemo est, qui dubitet, utpote monstrosam Venerem redolens (7).

XXI. Sepulcri violationem laesae Religionis crimen superius diximus, loca enim, ubi cadavera humantur, et quidem quae Fidelium apud Nos rite sacrata religiosa merito sunt: Quod si ipsis in Templis exstructa sepulcra sint, non propterea sacrilegii nomine teneri poterit qui ea violat, quod secus ex Iure Canonico; hoc tamen excepto casu (8), violati sepulcri crimen etiam eodem ex Iure dicitur (9): Ipsa quoque sepulcri violati actio cessat, ubi dolus absit; abest autem, quoties legitima annuente Auctoritate aedificium jam

(6) *Decian. d. lib. 6. cap. 42. n. 24.*

(7) *Crus. de indiciis part. 2. cap. 18. n. 8., Raynald. observat. crim. cap. 21. §. 1. n. 108.*

(8) Cui vix locus apud Nos; sepulcra enim saluti publicae consulens extra Templa, et Oppida construi jussit Imperator *Leopoldus*; quod idem olim obtinebat apud Romanos ex *Leg. XII. Tabul.*, de qua *Cic. de Legib. lib. 2. cap. 23.*, licet in posterum jam primis elapsis Ecclesiae Saeculis mos invaluerit Pontificum decretis probatus Fidelium cadavera in Templis humandi, ut ex *Aulisio* notat *Caravit. instit. crim. lib. 4. §. 1. cap 16. n. 14.*

(9) *Can. infames caus. 6. quaest. 1.*

labens reficitur, cadavera alibi transferuntur, vel ad anatomica studia dissecantur (10).

XXII. Hostium sepulcra violare impune fuit Romanis, utpote ipsis non religiosa (11): Verum, quaecunque eorum fuerit hac de re superstitio (12), multo humaniora apud Nos, et cultos Populos omnes exstant de Iure Gentium in bello principia, adeo ut non alia in Hostium Terris vastatio, et direptio concedatur, et liceat, nisi quae ad Ius nostrum tuendum, vel reparandum necessaria (13): Nos quid olim fecerint Gentes, sed quid facere debuissent, quaerendum est. Sepulcra igitur in Hostium ejusdem Religionis Terris aeque Nobis religiosa esse debent, et violare, nisi necessitas urgeat, nefas. Injurium pariter quocunque in Territorio ea violare, quae alienae Religioni addictis Auctoritate publica concessa sunt (14).

XXIII. Violati sepulcri Rei apud Roma-

(10) *Decian. d. lib. 6. cap. 44. n. 17.*, *Creman. d. lib. 2. cap. 2. artic. 5. §. 6.*

(11) *Leg. Sepulcra ff. de Sepulcro violato*: Contra autem *Seneca in Troad. act. 3. Scen. 1.*
Est tumulus ingens Conjugi caro sacer,
Verendus hosti . . . .

(12) Vid. *Gothofred. in Cod. Theodos. lib. 9. tit. 17.*

(13) *Lampred. Iur. publ. universal. part. 3. cap. 13. §. 5.*

(14) *Decian. d. cap. 44. n. 9. 10.*, ubi Infidelium sepulcra excipit; sed minus recte, civiliter saltem.

Google

nos, ubi vis interfuisset, summo supplicio afficiebantur; haec eadem poena etiam deficiente vi in humiliores indicta fuerat; honestiores vero deportatione, relegatione, aut metalli poena plectebantur, atque etiam pecuniaria simpliciter multa hi aeque, atque illi juxta modum admissi (15); infamiam pariter haec actio irrogabat (16). Levius tamen hujusmodi crimen vindicari paulatim coepit ad nostra usque tempora (17), ita quidem, ut quasi qualitas consideretur, quae exaggeret quidquid aliunde mali ipsum facinus comprehendit. Quod si Sanctorum corpora violata fuerint, severius tunc animadvertendum in Reos, et quidem pro modo consilii, quo id ausum, juxta principia superius posita.

CAPUT V.

De Apostasia.

XXIV. Deficere a veraci, et indubia nostra Catholica Religione, in qua nati, et adulti feliciter sumus, atque illam deserere penitus, graeco mutuato vocabulo, Apostasia di-

(15) *D. leg. Praetor ait, leg. ult. ff. de sepulcro violato.*
(16) *Leg. 1. ff. eod.*
(17) *Voet in Pandect. lib. 47. tit. 12. n. 3., Heinecc. d. lib. 47. Pandect. §. 133., Clar. §. final. quaest. 68. in fin.*

citur, quod latine defectio (1). Ingens profecto flagitium, et perditi Hominis est fidem Deo vero dedicatam polluere, Divina Mysteria prodere, et in profana migrare (2): Frequentius, quam hodie, primis Ecclesiae saeculis admissum hoc crimen legimus, publice saltem (quis enim impium, et atheon in corde noscit?): Alios fortasse terrore poenarum, quibus tot, tantique Heroes fidei nostrae veritatem testati sunt (3), defecisse credendum est; alios ex nimia eorum tunc temporis cum Ethnicis consuetudine, ad quorum sectam se conferebant ut plurimum, quandoque etiam ad Iudaeos: Quandoque tamen se Christianos non esse simpliciter profitebantur, ut securitatis Libellos a Magistratibus obtinerent, quibus tormenta evaderent; et quidem non veri Apostatae dici tunc poterant, licet gravissime peccarent (4).

XXV. Sunt et aliae Apostasiae species, quae tamen plurimum ab hac, quae perfidiae dicitur, differunt. Apostasia videlicet ab obe-

(1) Haec vera nominis etymologia, non quam habet *Hostiens.*, videlicet „ post stans „, quasi retro abiens, ut in *can. non observetis caus.* 26. *quaest.* 7.

(2) Ita *Imperat. in leg. hi qui sanctam Cod. de Apostatis*.

(3) Propterea Martyres graeco sermone dicti, latine Testes.

(4) *Gloss. in can. non solum* 85. *verb. negare Christum caus.* 11. *quaest.* 3.

dientia, Apostasia a Religione, Apostasia a Sacro Ordine. Ab obedientia, cum quis legitimo Antistiti, et praecipienti quae ad ipsum pertinent, parere pertinax renuit: A Religione, cum Regularem professus Ordinem illum ex arbitrio deserit, et extra Monasterium vagatur; si tamen ad breve tempus, profugus, non Apostata dicitur: Ab Ordine Sacro, cum votum emissum negligens ad pristinam inter Laicos vitam se iterum confert (5). Hae minus propriae Apostasiae species poenis canonicis coercentur (6).

XXVI. Apostasiam vero perfidiae, quam Ius Canonicum haeresis instar corripit (7), Lex etiam civilis persequitur, et poenae subjicit. *Constantinus* bonorum publicationem indixit Christianis, qui ad Iudaeorum (8) Religionem migrassent (9); eos autem, qui Iudaeum Christi Religionem amplexum saxis, aut alia gravi injuria affecissent, flammis tradi jussit (10);

(5) *Sacc. instit. canonic. lib. 4. tit. 4.*

(6) *Cap. contingit 45. de sent. excommunic., cap. ut periculosa 2. ne Clerici, vel Monachi in 6., De Amen. de delict. et poen. part. 3. tit. 2. §. 1. n. 6., et seq.*

(7) *Cap. contra Christianos de haereticis in 6.*

(8) De iis, qui ad Paganos convertissent; nihil sanxisse *Constantinum* observat *Gothofred. in Cod. Theodos. lib. 16. tit. 7. leg. 1.*, supplevisse postea *Theodosium*.

(9) *Leg. 1. Cod. de apostatis.*

(10) *Leg. Iudaeis Cod. de Iudaeis.*

capitis poenam statuerunt *Theodosius*, et *Valentinianus* in eos, qui Christianum in nefandam sectam, ritumve transduxissent (11). Publicatio tamen bonorum favore Fisci, quam *Constantinus* indixerat, immutata videtur sub posterioribus Imperatoribus, atque ita quidem, ut in bona Apostatae, cui testari, donare, aut ex testamento accipere vetitum, propinqui Christiani succederent (12): Ipse autem Apostata, cuicunque sectae se dedicasset, infamis fiebat, et, si Clericus, aut Monachus, extra fines Imperii pelli eum jussit *Valentinianus* (13).

XXVII. Apostata apud Nos ut plurimum voluntarie exulat, ideoque non aliud hoc casu Iudici superest, quam ut hoc idem exilium, et quidem perpetuum ipsi cognita causa decernat, et statuat, bonorum pariter interdictionem ut supra; et infamiam. Si vero audacter inter Nos degens Apostasiam praedicare non erubesceret, aut sibi sectatores quaerere, eandem tunc sane poenam, quae caeteris impiis, et Societati adversis ex Lege nostra statuta est, ipsum quoque manere nil dubium (14).

(11) *Leg. eum Cod. de apostatis*.
(12) *Leg. hi, qui sanctam, leg. apostatarum Cod. eod.*
(13) *Leg. eos, qui Cod. eod.*
(14) Vid. *Paul. lib.* 5. *sentent. tit.* 21. §. 2., et ibi *Schulting*.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Haeresi.

XXVIII. Quod graece *αἵρεσις*, id latine Haeresis a *Cicerone* dicitur, ut Sectam significet (1). Haeresis hic definitur error voluntarius contra aliquam fidei veritatem cum pertinacia in eo, qui Christianam Catholicam Religionem profitetur (2). Grave profecto flagitium Haeresis, gravius licet Apostasia, quae non in partem, ut Haeresis, sed in totum a veraci, quam delinquens baptismate professus est, Religione ipsum detorquet (3).

XXIX. Voluntarius autem, ut diximus, et simul pertinax requiritur error, ut Haereticus dici quis possit; nec talis indolis error erit, nisi, postquam errans certior factus eam sententiam amplexum se, quam Ecclesia damnavit, utpote adversam dogmatibus Catholicae fidei, in illa nihilominus perseveret. Ubi haec desint, ignorantia, licet, ut dicunt, culpabilis, ab haeresis labe errantem, doceri quidem paratum, et melius instrui, excusat (4).

(1) *Paradox. in proem.*
(2) *Paolett. d. lib.* 1. *tit.* 1.
(3) *Sacc. loc. cit.*, *De Amen. d. tit.* 2. §. 7. *n.* 5.
(4) *Can. dixit Apostolus caus.* 24. *quaest.* 3. Hinc *D. Augustin. de Trinit.* „ errare quidem potero, sed haereticus non ero „.

XXX. Quod si de iis contentio, et dissensio sit, quae nondum proscripsit, vel nondum fidei dogmata declaravit Ecclesia, tunc eo minus de haeresi quaerendum est, licet, quae revocantur in dubium, Scholarum, atque Theologorum, ipsorum quoque Ecclesiae Doctorum fulciantur suffragio (5): Quapropter ne in incerto vagarentur, ut ait *Gothofredus* (6), criminis hujus interpretationes, unde tumultus, seditiones, atque etiam caedes, primi Christiani Imperatores formulam fidei, quam Sanctissimi Antistites probassent, exhiberi voluerunt, ut inde Catholicos illam sequutos ab Haereticis secernerent (7).

XXXI. Criminis hujus probatio exquisita requiritur, quidquid aliter nonnulli sentiant ex Legis ipsius verbis „ qui vel *levi argumen-* „ *to* a judicio Catholicae Religionis, et tra- „ mite detecti fuerint deviare „ (8): Nam, ut optime cum sapientioribus observat *Gothofredus*, *leve argumentum* non ad probationem refertur, sed ad defectionem, ita ut minimus etiam error in dogmatibus fidei aeque, ac late graviores, haereticum constituat (9). Hic tamen error exquisitam, ut dixi, probatio-

(5) *Renazz. d. lib.* 4. *cap.* 4. §. 2. *n.* 3.
(6) *In Cod. Theodos. lib.* 16. *tit.* 5 *Leg.* 28.
(7) *Leg. cunctos Populos Cod. de Summa Trinitate, Paolett. d. tit.* 1.
(8) *Leg. omnes vetitae* §. *haereticorum Cod. de haereticis*.
(9) *D. tit.* 5. *leg.* 28.

nem requirit, cui nullum quocunque in delicto privilegium concessit Lex nostra (10), idque multo minus, ubi circa verba, quae volant, versetur quaestio. Neque porro, etsi verba rite probata, vel scripta judicio Ecclesiae, cui spectat (11), haeresim reapse contineant, satis hoc est, nisi etiam mens Accusati perspecta sit probe, ubi praesertim illius vitae genus caeteroquin, saltem specie tenus, Catholicum deceat (12); ideoque vix raro plenius hoc crimen probari posse dicendum est, quoties Accusati confessio desit (13).

XXXII. Excommunicatione, ut dicunt, majori, aliisque poenis canonicis coercet hoc crimen Ecclesia (14); easdem, quas Apostatis, Haereticis quoque statuit poenas Ius civile (15); Manichaeos capite plecti voluit (16), quippe qui prae caeteris noxii, turbidi, et scelesti quaecunque audebant flagitia „ Nemo „ ignorat (inquit *Renazzius*) quot Urbes, quot

(10) *Cod. Leopold.* §. 27.
(11) *D. leg. cunctos Populos*, *Creman. d. cap.* 2. *artic.* 1. §. 8.
(12) *Paolett. d. tit.* 1., *Renazz. d. cap.* 4. §. 4.
(13) *De Amen. d. tit.* 2 §. 7. *n.* 18.
(14) *Cap. ad abolendam*, *cap. excommunicamus de haereticis*, *De Amen. d* §. 7. *n.* 47. *et seq.*
(15) Haereticorum domos funditus destrui sanxit *Statut. Florent. lib* 3. *Rubric* 40.; ultorem ferrum *Fraticellis* indixit, pestiferum sectae genus hoc notum nomine.
(16) *Leg. Manichaei Cod. de Haereticis*.

„ florentissima Regna bello civili impio, at„ que teterrimo exarserint nequitia illorum „ suscitato, qui haeresibus favebant, ut suae „ ambitioni cautius, validiusque satisfacere „ possent „ (17). Nonne hac nostra ipsa aetate haec eadem experti sumus? Neque enim quidquid est ausum, ut legitima auctoritas Principum rueret, quidquid successus, utcunque precarii, hoc facinus habuit aliunde repetendum est, quam ex impiae, et falsae doctrinae fucatis illecebris, quibus impatiens, et caeca multitudo diu seducta, atque illusa exstitit. Quod igitur de Manichaeis Imperator, hoc idem de reliquis omnibus Lex nostra cavit (18), quoties in Religionem Catholicam, quam profitemur, impium quid moliantur, et audeant, quocirca simul cum illa periclitetur ordo, sub quo tranquillam vivimus vitam. Ubi haec absint, exilium, sicut Apostatam, Haereticum quoque manebit.

CAPUT VII.

De Schismate.

XXXIII. Schisma pariter graeca vox est, quae latine scissuram, dissensionem significat.

(17) *D. cap.* 4. §. 6. *n.* 2.
(18) *Cod. Leopold.* §. 60., *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 9.

Schisma hic intelligitur voluntarius recessus ab unione Ecclesiae (1), quatenus Corpus est mysticum, quod universis Fidelibus constat, qui Membra, et Romano Pontifice, qui Caput, ideoque graeco mutuato vocabulo Catholica, latine universalis, dicitur. Schisma aliud purum, aliud non purum dicunt: Non purum, quoties conjunctum cum Haeresi; purum, quoties Haeresis abest (2); ideoque Schismaticus differre ab Haeretico quandoque potest, quando videlicet unionem solummodo respuit, nec tamen vel minimum, directe saltem, adversatur dogmatibus fidei, quod quidem perraro, ut ait *Hieronymus*, evenit (3).

XXXIV. Quae poenae canonicae manent Haereticos, ipsae quoque et Schismaticos, quorum Episcopi frustra Sacros Ordines conferunt, licet characterem imprimant (4). Morte vindicavit Deus seditiones id generis in *Core*, *Dathan*, et *Abiron*, eorumque sequaces, quorum alios ignis hausit, alios tellus ima dehiscens absorbuit (5). Haeresim, et Schisma pari poena plectendum voluisse videtur Ius Romanorum; pari quoque apud Nos, ubi quae

(1) *Creman. d. cap. 2. artic. 1. §. 6.*
(2) *Sacc. loc. cit.*
(3) *In can. inter haeresim caus. 24. quaest. 3.*
(4) *Can. ordinationes caus. 9. quaest. 1., cap. fraternitati de Schismaticis, Decian. tractat. crim. lib. 5. cap. 67. n. 11.*
(5) *Numer. cap. 16.*

supra de Haereticis, et Apostatis diximus (6), pariter hic quoque recurrant.

XXXV. Neque porro quid minimum injurii Religionis velamine permissum est in Schismaticos natos, aut in alios, cujuscunque sint Sectae, in qua pariter nati, quiete inter Nos degentes, et Principis Legibus, a quo recepti, obedientes (7): Qui aliquid audent adversus illos, quod non eandem, quam Nos, Religionem profiteantur, severius imo plectendi sunt; tranquillitatem enim perturbant, et Religionem, quae pacis, et mansuetudinis est improbo abusu ad mala retorquent.

CAPUT VIII.

De Sortilegio.

XXXVI. Rei futurae per sortes exploratio, ubi nominis proprietatem sequamur, Sortilegium dicitur, a sortibus videlicet legendis hoc notatum vocabulo (1): „ Quid autem sors est? (inquit *Cicero*) idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras „ (2). Quoties in negotiis ci-

(6) §. 27. 32.
(7) *Can. dispar caus.* 23. *quaest.* 8., *leg. Christianis Cod. de Paganis*, *Covarruv. in reg. peccatum part.* 2. *relect.* §. 10. *n.* 2.
(1) *Renazz. d. lib.* 4. *cap.* 6. §. 1.
(2) *De divinat. lib.* 2. *cap.* 41.

vilibus utimur sorte, quam divisoriam dicunt, videlicet vel pro communi dividundo, vel ut simile quid solvatur, licitam esse nil dubium (3): Licitam pariter apud Hebraeos legimus sortem, quae consultoria dicitur, cujus varia refert exempla *Gratianus* (4), et quo pertinet illud *Salomonis* „ sortes mittuntur in sinum, „ sed a Domino temperantur „ (5); atque hac ipsa Apostoli sunt usi in electione *Mathiae* (6): Verum hujusmodi exempla, postquam Evangelium claruit (7), eliminata sunt, ne temere Deus tentari videretur (8): Atque haec strictam nominis proprietatem sequentes de sortilegio dixisse sit satis.

XXXVII. Latius tamen sortilegium intelligitur genus quodcunque superstitionis, artiumque magicarum vel ad divinanda futura, quod divinatorium dicunt, vel ad conciliandos amores, quod amatorium, vel ad mala infe-

(3) *Leg. sed cum ambo ff. de judiciis, leg. si duobus §. sancimus Cod. communia de legatis, §. optionis instit. de legatis.*

(4) *Can. quod autem cans. 26. quaest. 2.*

(5) *Proverb. cap. 16. in fin.*

(6) *Act. Apost. cap. 1.*

(7) Post Christi adventum, et reparatam salutem etiam vaticinia quaeque, et oracula cessisse enixe ostendit *Maffejus in opusc. artis magic. etc.*

(8) *Can. sors non est, can. non exemplo d. quaest. 2., cap. final. de Sortilegis.*

renda, quod maleficum, sive veneficum (9): Magia Persica vox sapientiam significat, Magi enim genus sapientum, et doctorum habebantur in Persis (10) Deorum cultui potissimum addicti; sed quoniam illorum postea vanitas eo perducta est, ut incredibili quadam cantaminum vi se posse, quae vellent, opinionibus Vulgi blandientes profiterentur (11), hinc factum est, ut in posterum Magiae nomen odiosum, et scelestum fecerit hujusmodi Sycophantarum colluvies (12), qui ejusdem idcirco, ac Sortilegi furfuris, infidi potentibus, fallaces sperantibus (13) totam ad quaestum rem invenerunt, ut ait *Cicero*, ac dirigunt (14).

XXXVIII. Misera illa divinandi ars inania, et stulta, quam tamen, ut temporum caligo evanuit, summopere exolevisse fatendum est, quamque Romana superstitio receperat cupide; juxta varias observationis species varia quoque nomina a Graecis mutuata fuit, ita ut, si ex terra observationes sumptae, Geomantia diceretur; si ex aere, Aeromantia; si ex igne, Pyromantia; si ex aqua, Hydromantia; si ex cadaveribus, Necromantia; si ex Astris, Astrologia; si ex manuum signis,

(9) *Caravit instit. crim. lib.* 1. §. 3. *cap.* 28.
(10) *Cic. de divinat. lib.* 1. *cap.* 23.
(11) *Apulej. in apolog.*
(12) *Bohemer. elem. jurisprud. crim. sect.* 2. *cap.* 4. §. 56.
(13) *Tacit. histor. lib.* 1. *cap.* 22.
(14) *De divinat. lib.* 2. *cap.* 41.

Chiromantia, si ex vultus, Metoposcopia: Ita pariter, qui ex avium volatu, cantu, pastu observationes sumebant, Augures dicti sunt; qui ex victimarum visceribus Haruspices, sive Extispices; qui responsa circa Aras Idolorum prece obtinebant nefanda, Harioli (15): Huc quoque responsa pertinent, quae in Psychomantiis de statu mortuorum habebantur (16); Vatum furibundae praedictiones; et eorum, qui Sybillinis maxime versibus motu ipsi suo, ut ait *Cicero* (17) „uno furente, altero somniante incitabantur; huc itidem Mathematici, quatenus illa sublimi scientia turpiter abutebantur, Circulatores, Circumforanei, Malefici tandem (18), quorum incantamenta jam ipsae *XII. Tabularum Leges* proscripserant (19), quemadmodum semper in posterum proscripta

(15) *Gothofred. in Cod. Theodos. lib. 9. tit. 14. leg. 4., Caravit. loc. cit.*
(16) De quibus *Cic de divinat. lib. 1. cap. 58., et Tusculan quaest. lib. 1. cap. 48.*
(17) *De divinat. d. lib. 1. cap. 2.*
(18) *Matth. lib. 47. ff. tit. 5. cap. 4., et lib. 48. tit 5. cap 5., Creman. d cap. 2. artic. 4.*
(19) *Plin. histor. natur lib. 28. cap. 2., Senec. quaest. natur lib. 4. cap. 7.*; Legem sic refert *Gravin. de orig Iur. lib. 2. in fin. Tab VII.* „Qui malum carmen incantasit, malum venenum faxit, duitve, paricida esto „ Qui fruges excantasit suspensus Cereri necator = cui Legi quasi irridens *Apulejus in Apolog.* „Magia ista (inquit) propter incredundas frugum illecebras interdicta.„

legimus (20). Hinc etiam Sagae, quas amores conciliare (21), hinc Striges, et Lamiae, quas infantibus pasci, aut ipsos fascinare (22), seque haec omnia. sicut et Maleficos, et Magos ope Daemonum peragere, cum quibus pacta, et commercia inita, credula sibi Gens persuasum habuit.

XXXIX. O delirationem incredibilem! cum *Cicerone* dici merito posset (23): Quis enim sanae mentis Homo anilibus fabulis hisce, atque praestigiis, non dicam fidem, sed ne patientem quidem accommodare aurem poterit? Quis non interim indignabitur, quod praeteritorum caligo temporum tot miserrimas rogo tradiderit, quae Xenodochio potius ad me-

(20) Et semper, ut ait *Tacitus loc. cit.*, retinebantur; ipsae enim Leges auctoritatem errori tribuerant. Quibus in Locis, notat post alios *Paolettus hoc tit.*, vesani Iudices deliria haec persequuntur, ibi augentur in diem; hoc enim quasi contagium crebris exemplis seductae, ut ita dicam, contrahunt credulae, et stultae Gentes, foeminae praesertim, quarum φαντασία perturbatur facillime.

(21) *Lucil. apud Non. cap.* 1. *n.* 86.

(22) *Horat. art. poetic.*

Neu pransae lamiae vivum puerum extrahat alvo.

Ovid. Fastor. lib. 6.

Est illis strigibus nomen . . . .

Pectoraque exsorbent avidis infantia linguis.

(23) Neque ipsum, nec reliquos Sapientes praestigia haec probasse notat inter alios *Renazz. in opusc. de Sortilegio, et Magia.*

dendam, si possibile, insaniam tradi debuissent? Multo etiam insaniores Iudices, qui impotentem earum virtutem diu experti, quod nec felis jactata forma, nec cujuscunque alius praesidio μεταπτώσεως (24) carceris clathros superassent nunquam, non satis inde convicti fuerint, si aliunde ex inscitia non poterant, fatuas se, mentisque non integrae, ineptae, et ridendae supposuisse quaestioni (25). Siquae igitur superstitiones hujusmodi serpunt adhuc in vulgus, eliminandae instructione, ubi ex inscitia, commiserandae, et quatenus medendae, ubi ex insania proficiscantur (26).

XL. Verumtamen Sycophantae nunc etiam non desunt, quorum interest praestigia haec blando jactare popello, ejusque praejudicatas opiniones fovere, atque alere, ut sibi vide-

(24) *Apulejus* in apologia contra *Aemilianum*, a quo insimulatus magiae, haec ironice habet „ oppido miror, cur accusare non timuerint quem „ posse tantum fatentur „

(25) Ita quidem *Filanger. scient. Legislat. lib.* 3. *cap.* 55. „ Simili delitti sono una chimera, gl' „ imbecilli sono quelli, che vi si danno in pre„ da, e i delinquenti coloro, che li puniscono „ Qui plura desiderat adeat *Maffej. in cit. opusc.*, et in altero contra *Tartarott.*; pariter *Renazz. d. opusc. de sortilegio, et magia.*

(26) *Filanger. loc. cit.* „ Per allontanare gli Uo„ mini da questi errori la derisione è molto più „ efficace della pena, l' istruzione più delle Leg„ gi, lo Spedale dei matti più del carcere, e dei „ roghi „

licet comparent quaestum artem exercentes, cui neque ipsi fidunt, et fallacem fatentur, ac noscunt (27). Genus hoc nebulonum, ubi Religionis absit abusus, aequiparandum Stellionibus crederem, atque ita porro, ut juxta modum admissi severius, aut mitius coerceantur, aut etiam simpliciter Politia provideat (28). Acerrime profecto animadvertendum in eos, qui pocula amatoria, vel alia quaecunque porrexerint, aut venditaverint (29), ex quibus aut mors, aut grave damnum emerserit (30).

XLI. Summopere autem Religionis abusus (31) exaggerat crimen; immane quidem, cum Hostia rite consecrata utuntur Malefici, sive Sortilegi (32); atrox quoque, si Sacris Vasi-

(27) Proinde *Cato* (sic *Cicero*) „ mirari se ajebat, quod non rideret Haruspex, Haruspicem „ cum vidisset „ *de divinat. lib.* 2. *cap.* 24.

(28) *Paolett. hoc tit.* De Circulatoribus, qui serpentes circumferunt, ubi eorum metu evenerit damnum, expresse cavet *Lex ult. ff. de extraordinariis criminibus*.

(29) Quemadmodum Circumforaneus ille, de quo *Cic. pro Cluentio cap.* 14; Vid. *Matth. lib.* 47. *ff. tit.* 5. *cap.* 4. *n.* 4.

(30) *Leg. siquis aliquid §. qui abortionis ff. de poenis*.

(31) Sortilegi apud *Gratian. caus.* 26. *quaest.* 1. dicuntur „ qui sub nomine fictae Religionis per „ quasdam, quas Sanctorum sortes vocant, di„ vinationis scientiam profitentur, aut quarumcun„ que scripturarum inspectione futura promittunt „

(32) *De Amen. loc. cit. tit.* 8. *§.* 6. *n.* 12.

bus; ita pariter, si reliquis ad Cultum spectantibus: Locus denique, ac tempus Religionis abusum constituere possunt; si in Templo videlicet, et, dum Sacra peraguntur, nefaria haec exerceantur (33) Huc referri quodammodo possunt qui ementitas Sanctorum reliquias circumferunt (34), aut imagines, ut simulato nutu, fletu, sudore leves vulgi mentes exagitent (35).

XLII. Poena mortis statuta legitur apud Hebraeos viro, aut mulieri „ in quibus pythonicus, vel divinatorius fuisset spiritus „ (36): Hariolos pariter, et qui eos consuluut, caeterosque Maleficos aeque persequitur Moysis Lex (37): Aquae, et ignis interdictionem, et publicationem bonorum ex veteri S. C. apud Romanos indictam fuisse Mathematicis, Chaldaeis, Hariolis etc. testatur *Ulpianus* (38): Qui de salute Principis Vaticinatores hos consuluissent, capite simul cum illis, si responsa dedissent, plectebantur; summum supplicium Servos manebat, si de Dominorum salute; metallum, vel deportatio Consultos, qui respondissent (39): Summo pariter supplicio

(33) Idem *De Amen. loc. cit.*
(34) Sycophantam hujusmodi effingit *Boccacc. fab.* 10. *die vero nugarum* 6.
(35) *Matth. d. cap.* 4. *n.* 3.
(36) *Levitic. cap.* 20. *in fin.*
(37) *Deuteronom. cap.* 18. *v.* 10. *et seq.*
(38) *Collat. Mosaic. et Roman. leg. tit.* 15.
(39) *Paul. lib.* 5. *sentent. tit.* 21.

afficiebantur magicae artis conscii; Magi vero comburebantur: Qui magicae artis libros retinuissent, bonis ademptis, et publice combustis libris (40), si honestiores, deportabantur in insulam, si humiliores plectebantur capite (41). Imperator *Constantius Constantino* severior (42) in Consulentes omnes gladii poenam indixit (43); Maleficos vero, et Magos quoscunque ferali peste, flammis videlicet juxta *Gothofredum* (44), absumi jussit (45). Ad nostra haec tempora quod attinet, clarioribus sane imbuta principiis, jam supra dictum est, quid deceat, ubi Religionis absit abusus; neque porro, etsi interveniat, flammis, gladio, capite plectendus Maleficus, atque Sortilegus, quandoquidem Sacrorum abu-

(40) *Leg. caeterae §. mala ff. familiae erciscundae.*

(41) *Paul. d. lib* 5. *tit.* 23. *Lucium Pituarium* insimulatum magiae saxo dejectum fuisse, et *Publium Martium* hujuscemodi reum extra Portam Exquilinam, cum classicum caneret, necatum testatur *Tacit. annal. lib.* 3. *cap.* 32.

(42) *Leg. nullus Cod. de Maleficis, et Mathematicis.*

(43) *Leg. nemo Cod. eod.*

(44) *In Cod. Theodos. lib.* 9. *tit.* 16. *leg.* 5.

(45) *Leg. multi Cod. eod.* Deportationis poena indicta fuit ab Imperatoribus *Honorio*, et *Theodosio* Mathematicis magicos libros retinentibus *leg. Mathematicos Cod. de Episcopali audientia.*

sus non finis est actionis, ut innuimus alibi (46), sed simplex effectus.

CAPUT IX.

De Simonia.

XLIII. Studiosa cupiditas, vel voluntas emendi aliquid spirituale, vel annexum spirituali, Simonia dicitur a *Glossa* (1): Rectius tamen cum *Lancellotto* definiri potest, rei spiritualis (2), vel spiritualibus annexae (3), cum aliquo temporali facta, aut etiam pacta commutatio (4); prior enim definitio ad cogitationem potius refertur, ideoque peccatum quidem, non crimen praeseferre videtur (5). A *Simone Mago* nomen traxisse notum est satis, qui Apostolis pecuniam obtulerat, ut sibi quoque Spiritus Sancti dona conferre tribuerent, cui *Petrus* indignatus respondit „ pecunia tua tecum „ sit in perditionem „ (6): Hac labe infecti Giezitici etiam vocantur a *Giezi*, qui munera ab *Naaman* extorserat falso *Elisei* no-

(46) *Lib.* 2. *cap.* 3. §. 18.
(1) *In verb. quidam caus.* 1. *quaest.* 1. *in princip.*
(2) Veluti dona Spiritus Sancti, Sacramenta, etc.
(3) Quemadmodum sunt Beneficia, Ius patronatus, etc.
(4) *Instit. Iur. canon. lib.* 4. *tit.* 3.
(5) *Cap. tua nos*, *cap. mandato de Simonia*: Hanc autem Simoniam mentalem dicunt.
(6) *Act. Apostol. cap.* 8. *v.* 18. *et seq.*

mine, a quo Divinae Gratiae interventu liberatus a lepra fuerat; quapropter in poenam ipse *Giezi* leprosus factus est (7).

XLIV. Simonia communiter dividitur in realem, ut dicunt, conventionalem, et fiduciariam: Realis dicitur Simonia, cum pactio, quae crimen constituit, utrinque impleta est, hinc videlicet praestito, illinc accepto quod promissum fuerat: Conventionalis, cum pactio quidem interfuit, sed vel effectus evanuit, vel altera tantum ex Partibus in pactione mansit: Fiduciaria, cum quis Beneficium recipit eo pacto, ut Conferentis nutu alteri quandocunque resignet simul cum fructibus; haec autem sequuto effectu ipsa quoque est realis (8).

XLV. Munus, quo res spiritualis, vel spirituali annexa commutatur, atque venundatur, aliud a manu dicitur, aliud ab obsequio, a lingua aliud; A manu, quoties pecunia, vel aliud quodcunque pretio aestimabile intervenit, sive ante, seu post, dummodo pactum jam prius expresse, aut tacite fuerit (9); hinc Simoniae nota vacant oblationes spontaneae, stipes, et quidquid ad Sacros Ecclesiae Ministros alendos Auctoritate publica probatum est (10): Munus ab obsequio intelligitur au-

(7) *Reg. lib. 4. cap. 5.*
(8) *Saco. instit. Iur. Canon. lib. 4. tit. 3.*
(9) *Can. eos qui d. caus. 1. quaest. 1.*
(10) *Cap. dilectus, cap. ad Apostolicam de Si-*

lica illa ars, qua quis, plerumque immeritus, officiis, famulatu etiam, qui eum dedeceret, rem spiritualem, vel quasi ab eo, cui pertinet, sibi aucupatur; atque huic affine munus a lingua, quatenus blanditiis, laudibus, assentatione in id totum intendit (11).

XLVI. Non omnis porro Simonia Juris Divini dici potest, ut quibusdam visum est, dum interim sapientiores Interpretes, atque Theologi Simoniae speciem distinguunt, quae ad Ius humanum refertur (12), quaeque praesertim spiritualibus annexa respicit (13), veluti Beneficia, et officia minus spiritualia (14):

monia, dummodo tamen nil sordidi oblationes redoleant, ut ibi, et in *can. emendari d. caus.* 1. *quaest.* 1.

(11) *Can. sunt nonnulli d. caus.* 1. *quaest.* 1., *Renazz. d. lib.* 4. *cap.* 7. §. 3.; hujusmodi artium, quocunque tendant, Magistrum, et docentem *Philodemum* inducit *Seotan. sat.* 5. *lib.* 1.

. . . . Si postulat ille matellam,
Tu prior ingredere, officiisque puer cave vincat,
Et Patrem, Dominumque voca; modicum hoc, nisi Regem
Appelles, geniumque in poplite curvus adores:
Ut bene dormitum? certe color optimus, et quo
Te Superi florere velint post mille Decembres.

(12) *Gloss. in cap. ex parte N verb dimittere de officio, et potestate Iudicis delegati*, et in *cap. cum pridem verb. illicitae de pactis*.

(13) *Can. siquis objecerit*, *can. Salvator d. caus.* 1. *quaest.* 3.

(14) *Sacc. d. tit.* 3.

Prior Simoniae species gravioribus poenis canonicis, quam altera plectitur, praesertim vero, si realis; tunc enim ipsi quoque proxenetae, et caeteri socii criminis aeque simoniaci habentur (15). Crimen autem hoc civiliter etiam coerceri posse nil dubium; ambitum enim redolet, quem rei qualitas aggravat: Exilio vindicari voluit *Iustinianus* (16); instar laesae Majestatis rei notati jam Simoniaci fuerant a *Leone*, et *Anthemio* (17); pecuniariam vero multam Lex patria in eos indixit, qui, sicut caetera, Beneficia quoque mercarentur sordide (18).

CAPUT X.

De Perduellione.

XLVII. Absolutis quae ad Divinam Majestatem pertinent, illa aggredientes crimina, quae ad Humanam, de Perduellione primum dicemus, quippe quae eorum in classe potissimum sibi vindicat locum. Est autem Perduellio illorum facinus, qui summam Reipublicae labefactare, Principemque imperio de-

(15) *Renazz. d. cap.* 7. §. 2. *n.* 2., *De Amerio d. part.* 3. *tit.* 8. §. 7. *n.* 36. *et seq.*
(16) *Authentic. collat.* 1. *tit.* 6.
(17) *Leg. si quenquam Cod. de Episcopis; et Clericis.*
(18) *Lata* 19. *Decembr.* 1576.

turbare conantur, et, quod meminisse horret, ipsa etiam vita expellere (1): Atrocissimum facinus, quod nostra hac aetate renovatum vidimus scelestissimorum quorundam Hominum conspiratione, qui Populo illudentes falsa libertatis, et aequalitatis imagine, ita fortasse rati cuncta ad se trahere, fractasque sublevare fortunas, eo rem perduxerunt, ut civile bellum exarserit, nullus diu exstiterit ordo, et neminem quasi ipse virtutis splendor incolumem retinere potuerit. Quis talia fando temperet a lacrymis? Quis, inquam, miseranda reminiscens tempora (2), quum libertati civili successerat procax illa, et effraenata licentia immane quodcunque vellet et audens, et peragens; quum aequalitati ad Legem confusio, atque cujuslibet eversio ordinis, quem dispar ipsa Hominum conditio, et gradus harmonicum, concinnumque facit (3), et quo quidem

(1) *Renazz. d. lib* 4. *part.* 3. *cap.* 2 §. 1., *Bohemer. elem. Iurisprud. crim. sect* 2. *cap.* 5. §. 75. Sive autem plures, qui Optimates, sive unus, qui Princeps, Rex, Imperator dicitur, publicam rem administrent, quidquid in illos ausum fuerit Perduellio erit, idem *Renazz. loc. cit. cap.* 1. §. 1., *Creman. d. lib.* 2. *cap.* 3. §. 3.

(2) Nec autem diversa esse possunt, quando . . . . Religio pedibus subjecta vicissim Obteritur . . . .

(3) „ Ut in fidibus (*sic Cicero de Republica*) ac „ tibiis, atque cantu ipso, ac vocibus concen-

subiato teterrimus ille resurgit in Orbe politico vultus, quem in physico dixere Chaos.

XLVIII. A bello perduellionem traxisse nomen testatur *Cajus* (4); veteres enim Romani perduelles eos dicebant, cum quibus bellum gererent, quos postea hostes appellare coeperunt, hostes autem, qui peregrini dicti deinde sunt (5): Perduellio ex Romanorum Iure a Laesae Majestatis crimine in eo differt, quod illa teneantur, qui adversus Principem, vel Civitatis nexum; hoc autem, qui

„ tus est quidam tenendus ex distinctis sonis, „ quem immutatum, ac discrepantem aures eru„ ditae ferre non possunt, isque concentus ex „ dissimillimarum vocum moderatione concors „ tamen efficitur, et congruens; sic ex summis, „ et infimis, et mediis interjectis ordinibus, ut „ sonis, moderata ratione Civitas consensu dis„ simillimorum concinit, et quae harmonia a „ Musicis dicitur in cantu, ea est in Civitate „ concordia, arctissimum, atque optimum omni „ in Republica vinculum incolumitatis „ apud *D. Augustin. de Civitate Dei lib. 2. cap. 21.*, cui c sublimis Philosophi fragmentum debemus. Ipsa virtutum exercitatio nescio quid inaequabile in rebus humanis exigere videtur *Sor. opusc Philosphic.* 4. §. 2.

(4) *In leg. quos nos ff de verborum significatione.*

(5) Sic multo ante *Cajum Cicero de offic. lib.* 1. *cap.* 12. „ Illud etiam animadverto, quod qui „ proprio nomine perduellis esset, is hostis vo„ caretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigan„ te: Hostis enim apud Majores nostros is di„ cebatur, quem nunc peregrinum dicimus „

in ejus contemptum, et contumeliam solum quid audeht (6). Verum non ita hodie apud Nos; caeteris enim, quae huc pertinebant, sublatis jam (7), sola nunc perduellio proprium laesae Majestatis crimen constituit (8), atque ita porro criminis hujus horror ex multiplici applicationis abusu neque debilitatur, neque imminuitur, ut opportune observat *Montesquieus* (9).

XLIX. Conatum perficere crimen ex ipsa definitione satis patet; et recte quidem; confecto enim scelere deficeret Iudicium, et Vindex; hoc ipsum animadvertebat *Cato* in Conjuratos Catilinarios (10), quos propterea justa caede peremptos nemo est, qui dubitet (11):

(6) *Bohemer. d. cap.* 5. § 72., quae differentia tamen obtinuit, ut ipse notat, post tempora subactae Reipublicae: Vid. *Matth. lib.* 48. *ff. tit.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. 2, *Gravin. de orig. Iur. lib.* 3. *cap.* 85.

(7) *A Cod. Leopold* § 62. Quot autem crimina ad Majestatem traducta fuerint post *Syllam*, qui primus, a reliquis, qui eversa tandem Romana Republica Imperio potiti sunt, longum esset referre, et quidem inopportunum nunc: Vid. hac de re *Filanger. d. lib.* 3. *cap.* 45., ubi Romanorum exemplum alios quoque, et uberiori ferocia imitatos fuisse indignatur.

(8) *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 9.

(9) *Esprit des Loix livr.* 12. *chap.* 8.

(10) *Apud. Sallust. Bell. Catilinar.*

(11) Celeri nimium fortasse Iudicio, sed quale postulabat necessitas, ut notat *Middleton. in vit. Cic. lib.* 3.

Digitized by Google

Qui igitur conspirat, conjurat, aeque ac qui prodit, perduellis est. Conspiratio a conjuratione in eo differt, quod haec jurejurando firmatur, illa non itidem; utraque autem sub generali factionis nomine comprehendi potest, quae, ut ait *Cremanus* est malorum in eandem rem consensus (12); jurisjurandi formulam exhibet *Tacitus* (13); huic simili Catilinarios usos traditum est, humanum scilicet sanguinem vino permixtum singulos criminis Conscios degustasse, ut inde aperto consilio magis inter se fidi essent (14): Verum quodcunque inter socios sacramentum in conjuratione sufficit; nec tamen, si desit, criminis decrescit atrocitas, ubi praemeditatum, et clandestinum inter eos initum consilium adsit illa in tempus audendi, quae ad confectionem criminis pertinent.

L. A conspiratione, et conjuratione differt seditio, quae non praeparatur, sed instar incendii subito erumpit,

. . . . saevitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces, et saxa volant, furor arma ministrat (15):

Haec autem in auctores vindicatur potissimum (16), qui etiam perduellionis actione teneri pote-

(12) *D. lib.* 2. *cap.* 3. *artic.* 1. §. 6.
(13) *Annal. lib.* 12. *cap.* 47.
(14) *Sallust. loc. cit.*
(15) *Virgil. Aeneid. lib.* 1.
(16) Multitudo enim, ut alibi innuimus (*lib.* 1. *cap.* 5. §. 103.) contagione insanit, et tanquam

runt, ubi improbo perduellium consilio eam concitaverint; seditio enim per se non eo tendit, quin imo quandoque est simplex dissensio Civium, cum studia in contraria scinduntur (17). Tumultus pariter differt, quem repentina perturbatio gignit, et mali impendentis timor, quandoque fortasse πανιχόσ (18): Hic autem sine auctoribus certis exsurgit; in seditionem tamen converti potest, ubi quis audax multitudini trepidae se ducem praebeat, licet non eo ut plurimum scelerato consilio, quo perduellis, ut inde non eandem hoc ausum atrocitatem praeseferat (19).

LI. Conjurationi affinis proditio, quin etiam turpior: Proditor enim Patriae simulans opitulari illam hostibus tradit, vel quacunque ratione eos adjuvat; hinc proditores, ait *Tacitus* „ etiam iis, quos anteponunt, invisi sunt „ (20). Hoc i aque irretiuntur crimine qui exercitum

a procellosis ventis incitatur a paucis, qui vitiorum, scelerumque impunitatem sperant peccando cum plurimis, ita *Renazz. d. lib.* 4. *part.* 3. *cap.* 2. §. 5.

(17) Hanc definitionem habet *Cic. de Repub. lib.* 6. *apud Nonium* „ Dissensio Civium, quod seorsum eunt alii ad alios, seditio dicitur „

(18) „ Quid enim est aliud tumultus (inquit *Cicero*) nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? unde etiam nomen ductum est tumultus „ *Philippic.* 8. *cap.* 1.

(19) *Leg. capitalium* §. *solent ff. de poenis*.

(20) *Annal. lib.* 1. *cap.* 58.

deserunt, vel privati (21) ad hostes perfugiunt (22); qui in bello cesserint Arcem non tenuerint, castra concesserint (23); qui hostes in Patriam concitant (24), vel arma adversus illam capessunt; qui hostibus nuntios, literas mittunt vel signa dant, vel id faciunt, quo hostis juvetur (25); qui sollicitant milites, ut adversus Patriam tumultuentur (26); qui injussu Principis bellum gesserint, delectum habuerint, exercitum comparaverint (27); qui

(21) Idest gregarii, qui tamen, si ad hostes non perfugerint, perduelles non sunt *Matth. lib.* 4. *ff. tit.* 2. *cap.* 2. *n* 13.

(22) *Leg. quive ff. ad leg. Iul Majestatis.*

(23) *Leg lex duodecim ff. eod.* Perduellem non esse, qui ignavia, aut formidine cessit, contendit *Matth. d. cap.* 2. *n.* 15.

(24) *D. Leg. lex duodecim*, *Cneman. d. artic.* 1. § 3. Huc pertinent, qui sive Subditi, sive Exteri delectum militum habent apud Nos tempore belli, ut ad hostem traducant. Id vetitum etiam vigente pace, quemadmodum Subditis vetitum invito Principe militare apud Exteros, multoque magis, dum Exteri invicem pugnant, cuicunque eorum favere; Vid. *Leg.* 19. *Iul.* 1742., *et* 1. *August.* 1778.

(25) *Leg.* 1 *ff. eod.* Hac Legis censura eos teneri solum, qui a Principis consiliis, vel secretis sunt, aliqui autumant, sed perperam, ut evincit *Matth. d. cap.* 2. *n.* 10.; hostili enim animo est quisquis Patriae consilia, secreta, arcium munimenta, ἰχνογραφίαν renuntiat.

(26) *D. Leg.* 1.

(27) *D. Leg. lex duodecim*; maximum siquidem

id egerint, ut Provincia, vel Civitas hostibus prodita sit, exercitus in insidias deductus (28); ita qui id pariter egerint, ut obsides, pecuniae, jumenta hostibus dentur, ipsique juventur commeatu, armis, telis, equis, pecuniis, aliave quacunque re; vel ut hostes in potestatem nostram nequaquam veniant; vel ut ex amicis hostes fiant (29).

LII. Utrum perduellionis actione illi teneantur, qui non in Principem facinus moliuntur, et audent, sed in Viros illustres, quorum ope, et consilio Imperii habenas moderatur, a quibusdam dubitatum est; *Arcadii* profecto Lex nodum expedire videtur, hosce enim Viros corporis sui partem dicit, pariterque vult plecti qui in illos, atque in se ipsum quid machinantur (30): Hoc tamen sic accipiendum, quatenus hujusmodi ausum non quidem ex odio privato, sed eo tendat, ut publicus ordo evertatur, et corruat (31); „ Nam si privata-

Reipublicae turbandae momentum in bello consistit; nec interest prospero, an adverso eventu bellum gestum fuerit *leg.* 3. §. *in bello ff. de re militari*; nam et victi saepe acrius instant, et, ut quiescant, in periculum tamen, et discrimen Respublica adducitur; ita *Matth. d. cap.* 2 *n.* 16.

(28) *Leg. Majestatis*, *leg. cujusque ff. ad leg. Iul. Majestatis*.

(29) *D. leg. cujusque ff eod.*

(30) *Leg. quisquis Cod ad leg. Iul. Majestatis*; Vid. etiam *leg.* 1. *ff. eod.*

(31) *Renazz. d. cap.* 2. §. 7. *not.* 1.

„ rum inimicitiarum gratia factum sit (sic „ *Matthaeus*) minuisse quidem Reus Majestatem videbitur, non tamen perduellionem „ commisisse, quoniam perduellio hostilem „ animum requirit „ (32).

LIII. Ipsum conatum diximus hoc crimen perficere, non simplicem tamen cogitationem (33), sed quam sequutum est sceleris inceptum aliquod (34), veluti venenum paratum; sacra-

(32) *D cap.* 2. *n.* 8.; precariam, et quasi speciem perduellionis appellat *Gothofred. Cod. Theodos. lib.* 9. *tit* 14. *in leg. quisquis* § 6.; Vid. *Erlanger. d. lib.* 3. *cap.* 46., ubi *not.* 1. conatum in Augustam, et Principem haereditarium ab eo secernere videtur, qui in caeteros Familiae Regiae.

(33) Quidquid aliter sonare videantur haec verba „ de nece etiam ... cogitaverit; eadem „ enim severitate voluntatem sceleris, qua effectum puniri jura voluerunt „ *in d. Leg. quisquis*, quae *Arcadio* tribuitur, seu potius *Eutropio Eunucho* qui *Arcadio* adhuc juvene summam Imperii Orientis, ubi Lex lata, post *Rufinum* tenuerat (*Honorius* enim, fratre etiam junior, *sub Stiliconis* tutela Occidentem regebat) ut notat *Gothofredus loc. cit.* §. 11.; hac autem Lege *Eutropium* sibi quoque, et caeteris Administris consulere voluisse satis patet, forsan ut impunius ita exerceret, sicut *Rufinus*, tyrannidem, quam diverso tempore uterque expiavit capite, ideoque carmine utrosque insequutus est *Claudianus*, *Murat. annal. Ital. sub anno* 395 399.

(34) Ita quippe evitatur *αντινομια*; altera enim Lex

mentum praestitum, ut post *Irnerium* caeteri Interpretes; oratio pariter, seu concio scelesta; non itidem mera jactatio, quae subita ira aestuante, aut inter scyphos quandoque effunditur (35): quemadmodum a Tarentinis illis, quibus propterea libenter *Pyrrhus* pepercit, ejusque ira in risum conversa, ut unus ex iis libere ipsi fassus est plura etiam se locuturos, nisi vinum defecisset (36). Dissimulanda certe non sunt maledicta, quae verbo, scriptis, aut typis emittuntur in Principem, sicut et in Magistratus, ubi gravia praesertim, et publica, neque ex levitate, aut insania: Hoc sensu accipiendum illud Imperatorum (37) „

hoc habet „ Cogitationis poenam nemo pati-
„ tur „ 18. *ff. de poenis*. Illud autem *Iuvenalis sat.* 13.

Has patitur poenas peccandi sola voluntas,
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum
Facti crimen habet . . . . .

non ad humanam, sed ad vindictam Divinam refertur; peccatum siquidem sola etiam cogitatione contrahitur, et contraxisse monet Poeta Spartanum illum, dum cogitabat retinere depositum, ideoque Numinis vindictam expertum fingit. Humanam passum fuisse Gallum quendam nobili genere natum sub *Henrico III.* refert *Filanger. d. lib.* 3. *cap.* 45 *in not.*, sed illorum temporum exempla commiseranda quidem, non adoptanda.

(35) *Matth. d. tit.* 2 *cap.* 3. *n.* 4.

(36) *Valer. Maxim. lib.* 5 *cap.* 1.

(37) *In leg.* 1. *Cod. siquis Imperatori maledixerit.*

„ si ex levitate processerit, contemnendum;
„ si ex insania, miseratione dignissimum; si
„ ab injuria remittendum, unde integris o-
„ mnibus hoc ad nostram scientiam referatur,
„ ut ex personis Hominum dicta pendeamus, et
„ utrum praetermitti, „ an exquiri debeant,
„ censeamus „ (38) Quod si ratione officii, aut quo ipso tempore illud exercet, verbo, multoque magis facto Magistratui injuria illata fuerit, severius etiam tunc vindicandum facinus non solum ex Romanorum Iure (39), sed et Legibus nostris (40).

LIV. Quia porro qui conjurant, atque conspirant, secreto coeunt, et singula secreto moliuntur, idcirco ad ipsum quoque avertendum periculum conventus qualescunque secretos providentissime a Legibus proscriptos legimus: Coetus quidem nocturnos ipsae XII. Tabularum Leges vetuerant (41): Gymnasia,

(38) Quae ex levitate, aut insania, quod despici possint, etiam Legibus nostris est cautum: Caeterum quae de *Tito* habet *Dion* „ Ego injuria,
„ et contumelia affici non possum, quia nihil
„ mihi extitit, quod reprehensionem mereatur,
„ et mihi non sunt curae quae falso de me ja-
„ ctantur „ *Titum* Philosophum decent, non *Titum* Imperatorem: Nimia enim hac super re indulgentia, et incuria audaciores, procacioresque persaepe Subditos facit, atque hinc porro tumultus, et seditiones.

(39) *Instit. de injuriis* § *atrox*, et ibi *Vinnius*.

(40) *Cod. Leopold.* §. 63., *leg.* 30. *August.* 1795 §. 11.

(41) Legem sic refert *Gravina de orig. Iur. lib.* 2.

et sodalitates in perniciem quandoque conduxisse, ejusque rei exemplo Milesios esse, Boetios, et Thurios observavit *Plato* (42): Collegia quaecunque, praeter antiqua, et legitima (43), *Augustum* dissolvisse testatur *Suetonius* (44); factiones enim scelestae specioso Collegii novi titulo coibant in Urbe tunc temporis: Quot vero malorum, et scelerum Bacchanalia referta fuerint habemus ex *Livio* (45). Tandem Divi Fratres, qui *Antonino* successerant, et postea *Severus* Collegiorum licentiam non Romae tantum, sed quacunque in Provincia inhibuerunt (46), adeo quidem ut in posterum ea solummodo licita, quae aucto-

cap. 6o. „ Siqui in Urbe coetus nocturnos agi„ tassit, capital esto „

(42) *De Legib. Dialog.* 1.

(43) Quo pertinet altera Lex, quam refert cit. *Gravina cap* 45. „ sodales legem, quam volent, „ dum ne quid ex publica lege corrumpant, si„ bi ferunto „, quam ex *Solonis* legibus translatam autumat *Heinecc. de colleg. et corporib. exercit.* 9. *cap.* 1 §. 10. Plurima autem et Romae, et in Provinciis, artificum praesertim, Collegia antiquitus exstitisse notat ipse *Heinecc.* §. 12.

(44) *In vita August. cap.* 32. Pleraque etiam antea Senatus sustulerat, quae postea cum aliis novis innumeris ex omni faece Urbis restituta, et constituta fuisse a *P. Clodio* turbulentissimo homine in Consulatu *Pisonis* conqueritur *Cic. orat. in Pisonem cap.* 4.

(45) *Histor. lib.* 39 *cap.* 8.

(46) *Leg.* 1. *ff. de Collegiis illicitis*.

ritate publica instituta fuissent, caetera, siqua exstarent, dissolverentur. et quod in commune habuissent singulis restitueretur sodalibus (47). Collegium autem tres etiam personas facere *Neratius* est auctor (48), et post eum Interpretes (49), quod idem de conjuratione, et conspiratione dicendum (50).

LV. Laesae Majestatis reos fieri Subditos tantum natura, vel jure suffragiis concordibus traditum est; caeteri proditores, et hostes, siquid simile ausint, dicendi sunt (51); nec tamen perduellium poenam evadere poterunt, ubi Lex in quoscunque ita sanxerit; hac enim conditione recepti intelliguntur, ut Summi Imperii Legibus pareant, eisque obligentur (52): „ Qui crimen admittit (sic *Matthaeus*) eo ipso „ subjicere se Legibus ejus Loci videtur, ubi „ delinquit „ (53): Hoc et de ipsis Legatis rigide intelligendum doctissimi quidem Viri existimarunt, ubi in Principis vitam, ad quem

(47) *Leg. Collegia ff. eod.*
(48) *Leg Neratius ff de verbor. significatione.*
(49) *Bartol. de Collegiis illicitis in rubric., Matth. lib.* 47. *ff. tit.* 15. *cap.* 1. *n.* 1., *Renazz. d. part.* 3. *cap.* 3. §. 1.
(50) *Creman. d. cap.* 3. *artic.* 1. §. 7.
(51) *Matth. lib.* 48. *ff. tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 7., qui *n.* 10. barbara mutuari coactus vocabula Vasallos non Subditos feloniae teneri dicit.
(52) *Wattel jur Gent. lib.* 2. *cap.* 8. §. 101., *Lampred. jur. publ. univers part.* 3. *cap.* 6. §. 2.
(53) *D. lib.* 48. *tit.* 18. *cap.* 4. *n.* 24.

missi, intentassent (54); non enim tunc Legati, sed hostes; ideoque sceleto Feciali illi, qui Regi, ad quem ab *Eurystheo* missus fuerat, id objiciebat

Tun' Fecialem caedere huc missum audeas? merito Rex respondit

Ni Fecialis dexteram a vi temperet (55).

LVI. Neque tamen laesae Majestatis actione, aut alia quacunque argui poterit Subditus qui, e Regno dejecto Principe, hosti obtemperet, a quo Regnum invasum fuit; licet enim semper legitimo Principi fidem debeant Subditi, quandiu Regno in pacis conditionibus non renuntiaverit, non illam idcirco violare dicuntur, si in iis omnibus, quae Iuri naturali, ac Divino non adversantur, hosti obsequuntur, qui, dum possidet, vim obligandi quodammodo habere potest, ut ait *Grotius*, si non jure suo, quod nullum est, ex eo saltem,

(54) *Grot. de jur. bell. et pac. lib.* 2. *cap.* 18. §. 4. *n.* 7., et ibi *Heinecc.*, *Barbeyrac. ad Pufendorf. de jur. nat. et Gent. lib.* 8. *cap.* 9. §. 12. *not.* 1., *Wattel jur. Gent. lib.* 4. *cap.* 7, §. 100.

(55) *Euripid. Heraclid. Act.* 1. *Scen.* 4. Fecialem istum nomine *Cupreo* a Populo Atheniensi idcirco interfectum narrat *Philostratus in vita Herodis*. Simile fatum nostra hac aetate subiit Romae Gallus quidam prima adhuc plerorunque suae Gentis deliratione, et furore, quod eximii Poetae Italici oestrum excitasse notum est satis.

Digitized by Google

quod probabile sit legitimum Principem id malle, interim rata esse quae hostis imperat; quam ordinis eversionem (56); nam juxta illud Sapientis „ ubi non est Gubernator, Po„ pulus corruet „ (57): Quamobrem neque in Principem Subditi peccant, qui publica munera, et officia, sine quibus Civitatis regimen stare non posset, sibi ab hoste conferri patiuntur (58), quemadmodum eos non peccasse *Arcadius*, et *Honorius* rati sunt. qui sub *Eugenio* tyranno administrationibus fuerant functi; iis enim honores pristinos restituerunt (59). Non tamen parere tenentur Subditi, et graviter parendo delinquunt in Principem, ubi eorum opera adversus illum uti hostis velit, qui Regnum invasit (60).

(56) *De Iur. bell. et pac. lib.* 1. *cap* 4. § 15. Vid. *Paul. Apost epist. ad Roman. cap.* 13.

(57) *Salom. proverb. cap* 11. *v.* 14.

(58) *Coccei. ad Grot dissert proemial.* 12. *lib* 6. *cap.* 2. *sect.* 1. §. 647.

(59) *Leg* 11 *Cod. Theodos. apud Gothofred. lib.* 15. *tit.* 14. Et merito semper merentibus, „ iis e„ nim (ait *Cicero*) qui habent a natura adju„ menta rerum gerendarum, adipiscendi Magi„ stratus, et gerenda Respublica est; nec enim „ aliter regi Civitas, aut declarari animi magni„ tudo potest „ *de offic. lib* 1. *cap.* 21.

(60) *Heinecc. praelect. ad Grot. lib.* 1. *cap.* 4. §. 15: Secus, ubi quis, Patria deserta jandiu, se ad Gentes transtulerit, pro quibus exorto bello arma sumpserit *Cremon. d. artic.* 1. §. 3. *not.* 2.

LVII. Delinquit pariter Subditus, qui conjurationem sibi notam denuntiare omittit; nec tamen ex simplici silentio perduellionis actione teneri potest, ut *Bartolo* duce (61) plerisque visum est, qui verba Legis (62) rigidius aequo interpretati conscios rati sunt non eos tantum, qui conjurationi quomodocunque adhaesissent, sed et illos, quibus nil aliud objici posset, quam nuda scientia. His igitur, dummodo Subditi, silentium quidem imputatur, quod a fidelitate defecerint quodammodo, sed citra perduellionis notam (63); quin imo ipsum etiam silentium impune quandoque esse poterit, ubi vinculum sanguinis

(61) *In leg. utrum n. 3. ff. ad leg. Pomp. de parricidiis ; Bartolo* adhaesit Florentinum Statutum in *Rubr.* 60. *lib.* 3.

(62) Quae haec sunt „ satellitibus consciis . . . : „ simili severitate censemus „ *d. leg. quisquis §. id quod Cod. ad leg. Iul. Majest.*

(63) *Paolett. instit. crim. lib.* 3. *tit.* 1. *Bartoli* tamen doctrinam diu obtinuisse, et ad nostra fere tempora dolendum est : Ita quippe, ut caetera omittam exempla, apud Gallos sub carnifice periit *Franciscus Thuanus* celeberrimi Historici filius : Ita apud Nos *Bernardus Nerius* Signifer prope occasum saeculi XV., ut habet *Guicciardin. histor. bell. Ital.* ; atque ita sanxit subsequens *Lex* 11. *Mart* 1548., quam *Pulverinam* a *Iacobo Pulverino*, a quo scripta, dicunt ; ferocior quoque Lex, utpote quae perduelles ante etiam cognitam Causam occidendos propositis praemiis edixit.

Digitized by Google

acrius urgeat (64), quemadmodum inter Parentes, et Liberos, Consanguineos, et primi gradus Affines; generaliter enim receptum videtur illud *Ulpiani* (65), quod ignoscendum sit illi, qui,, sanguinem suum qualitercunque „ redemptum voluerit „. Pristinam nimis Romanorum ferocem sapit virtutem *Ciceronis* doctrina, qui ancipitem Filium inter Patriae salutem, et scelesti Patris inducens haec habet „ imo vero obsecrabit Patrem, ne id fa- „ ciat; si nihil proficiet, accusabit, minabitur „ etiam; ad extremum, si ad perniciem Pa- „ triae res spectabit, Patriae salutem ante- „ ponet saluti Patris „ (66).

LVIII. Perduelles ubicunque Gentium poena mortis multatos fuisse testantur Historiae: Romae quidem a primo ipso Rege Legem ejusmodi latam fuisse tradit *Dionysius* (67), quam postea in XII. Tabulas a Decemviris traductam hujus fortasse tenoris refert *Gravina* „ siquis perduellem concitassit, Civem- „ que perduelli transduit, capital esto „ (68):

(64) *Matth. d. lib. 48. tit. 2. cap. 2 n. 20., et cap. 3. n. 23.*

(65) *In leg. 1. ff. de bonis eorum, qui ante sententiam.*

(66) *De offic. lib 3. cap. 23.*

(67) *Histor. Rom. lib. 2.*

(68) *De Orig. Iur. lib. 2. cap. 61.*; genus vero supplicii a *Tarquinio* inventum sic habet *Cic. pro Rabirio cap 4* „ Caput obnubito, arbori „ infelici suspendito „

Digitized by Google

L. Cornelius Sylla plura alia crimina comprehen lens, quae minus proprie huc pertinebant, aquae, et ignis interdictionem generaliter indixit, atque hunc imitati sunt *Iulius Caesar*, et post eum *Augustus*, unde Lex Iulia dicta, cujus diversa capita Iurisconsultorum cura in Digestis exstant (69): Poenam tamen auctam deinde fuisse habemus a *Paulo*; ita enim ille de hujusmodi Reis „ his antea in perpe„ tuum aqua, et igni interdicebatur; nunc ve„ ro humiliores bestiis objiciuntur, vel vivi „ exuruntur; honestiores capite puniuntur „ (70). Gladii poena etiam sub *Arcadio*, et *Honorio* statuta fuit (71), quemadmodum et publicatio bonorum, quae quidem multo jam prius vigebat (72), sed moderatior; nam ex eorum Lege non solum paterna, sed alia quaecunque successio adempta Liberis fuit, spesque omnis honorum, et dignitatum, ita ut perpetua infamia, et „ egestate sordentibus so„ latium mors, et vita supplicium esset „ Huic similis, atque etiam immitior, ut superius innuimus, patria Lex Pulverina diu viguit apud Nos, cum tandem sub eximio Principe

(69) *Lib.* 48. *tit.* 4.
(70) *Lib.* 5 *sentent. tit.* 29.
(71) *In d. leg. quisquis*.
(72) Hujus meminit, atque ita *praeclare* factum dicit *Cic. in epist ad Brutum* 12., ut inde caritas Liberorum amiciores Parentes Reipublicae redderet, quod tamen *praeclare* locatum male ait *Botton. specim. Iurisprud. Rom. cap.* 14.

publicatio bonorum, et quidquid aliud ferociam redolebat subiatum fuit (73); ideoque perduellionis, seu laesae Majestatis crimen solos auctores, et socios tenere sancitum est, morte quidem expiandum (74), ubi praesertim ad proximos actus perventum, sed nil durius ultra: Silentium autem in Subditos, propinquis ut supra exceptis, mitius vindicatur, quod idem dicendum de Collegiis illicitis (75), quibus poenam ipsam legis Iuliae indixerat Ius Romanorum (76).

(73) Cod. Leopold. §. 45. 52.
(74) Leg. 30 August 1790 §. 9.
(75) Clandestinae coitiones ideo vetitae, quod perniciosae machinationis aut in Religionem, aut in Rempublicam suspectae; huic praesumptioni innixa Lex poenam exigit quidem, illa tamen mitiorem, quae sceleri ipsi deberetur; hac eadem ratione arma gestantem punit, sed mitius, quam si illis abusus fuisset in alterius perniciem, ad quod avertendum periculum gestare vetat, Vid. *Grot. de Iure bell. et pac. lib. 2. cap. 20 §. 26.*; *Suarez. de legib. lib. 6. cap. 9. n. 14.*
(76) *Leg. qui illicitum ff. de collegiis, et corporibus illicitis.*

CAPUT XI.

De Vi publica.

LIX. Solam perduellionem propriam Laesae Majestatis crimen constituere superius diximus; caetera, quae nunc persequimur, crimina ideo ad Majestatem referuntur, quod in ejus contemptum, et injuriam speciatim vergunt, nec tamen in illam hostile quid intendunt. Et primo quidem dicendum de Vi publica, utpote quae in Majestatem ita propius recidit, ut Philosophus ille Legislator noster, qui ipsum Majestatis nomen horrebat, hoc, ut illam significaret, usurpaverit (1).

LX. Vis ita definitur a *Paulo* (2) „ major „ rei impetus, qui repelli non potest „ vel, ut ait *Cujacius* „ quem a se quisque repulsare „ non potest „ (3). Quae autem apud Romanos vis publica fuerit, quae privata, adeo dubium est, ut quasi sub Iudice adhuc lis esse videatur: Omissis Legibus Pompeja, Clodia, Pedia, quae pro re nata ad motum aliquem civilem reprimendum emanarunt, ut habet

(1) *Cod. Leopold.* §. 62.

(2) *Lib.* 5 *sentent. tit.* 7. *n.* 1., cui respondet *Lex* 2. *ff. de eo, quod metus causa.*

(3) *Matth.* autem *lib.* 48. *ff. tit.* 4. *cap.* 1. „ In „ genere vis nil aliud est, quam necessitas imposita, contraria voluntati „ Vis vero ea hic intelligitur, quae humana, et injusta.

Gravina (4), Leges, quae progressu temporis obtinuerunt, Plautia videlicet, cujus auctor Tribunus *Plautius* post *Syllae* interitum, et Iulia, quae ad *Iulium Caesarem*, et *Augustum* pertinet, ab agentis persona vim distinxisse videntur, adeo quidem ut publica esset, si ab eo, qui aliqua potestate praeditus, ut ait *Paulus* (5), vis illata fuisset; postea vero non persona, sed arma vim distinxerunt, ut publica vis esset, quam cum armis quis inferebat (6); licet exempla non desint, quibus Romanum Ius vim publicam etiam sine armis admissam definiverit, dummodo atrociorem, vel improbiorem, ut in rapto, stupro, aliisque casibus, quos ex ipso Iure deprompto *Matthaeus* refert (7). In hac porro obscuritate id etiam factum est, ut quidam a loco, ubi vis illata; quidam a Persona, cui illata, publicam a privata secreverint (8); quidam denique, et inepte, ut notat *Matthaeus*, a maturitate consilii.

LXI. Moribus nostris id receptum videtur, ut atrocitas facti vim publicam distinguat, cui accommodari quodammodo potest *Bohemeri* definitio, videlicet „ crimen, quo secu„ ritas publica per atrociorem violentiam in-

(4) *De orig. Iur. lib* 3. *cap.* 91.
(5) *D. lib.* 5. *tit.* 26. *n.* 1.
(6) *Argum. text. in §. item lex Iulia de vi publica instit. de publicis Iudiciis.*
(7) *D. cap.* 1. *n.* 3.
(8) Vid. *Creman. d. lib.* 2. *cap* 4. *artic.* 11. §. 3.

„ justam laeditur „ (9): Huc autem praecipue spectant seditiones, et Populi tumultus vel ex caritate annonae, vel ad immane aliquod vindicandum nefas, quod ex Legibus Magistratui spectat, vel cum in aliquam Legis aut abolitionem, aut novitatem audacter erumpit, vel in quid aliud simile Auctoritate publica emissum, sicut et in Magistratuum aut veram, aut, quam ipse credit, duritiem (10): Haec omnia comprehendisse videtur patria nostra Lex (11), quae tamen eadem a Perduellione, seu proprio laesae Majestatis crimine separata oratione distinxit; neque enim eo tendunt, ut alibi notatum est (12), quemadmodum, et multo minus eo tendunt privata illa quasi dixerim bella, cum contrariis ex studiis repente una pars Populi in alteram ruit.

LXII. Atrox vero dicitur factum etiam sine armis admissum, ubi Personarum suppleat multitudo, et quidem numero exuberans; turba enim, quam *Paulus* armatam desiderat (13),

(9) *Sect.* 2. *cap* 7. §. 98.

(10) Ad Milites quoque crimen hoc pertinet, ut variis exemplis notat *Creman. d. lib.* 2. *cap.* 3. *artic.* 1. §. 9.

(11) Lata 30. *August.* 1795. §. 9., posterior *Cod. Leopold.*

(12) §. 50.; exemplo autem sunt tumultus, de quibus *lib.* 1. *cap.* 1. *not.* 67.: Huc etiam referri potest turbata Iurisdictio Territorii citra hostilem animum.

(13) *Leg. hi qui aedes ff. ad leg. Iul. de vi publica*.

Digitized by Google

decem personis, aut quindecim constare debet ex mente *Ulpiani* (14), licet ad quinque etiam, equites tamen, coarctet *Bartolus* numerum (15): Notandum interim cum *Cajo* (16) „ armorum appellationem non utique scuta „ tantum, et gladios, et galeas significare, „ sed et fustes, et lapides „; pariter *Paulus* (17) „ armatos non utique eos accipere „ debemus, qui tela habuerint, sed etiam „ eos, qui habent aliud, quod nocere potest „

LXIII. Caeterum, ubi publicae Auctoritatis contemptus desit, non ut in allatis exemplis, vis hodie haberi solet velut crimen, ut dicunt, innominatum (18), aut qualitas potius, quae crimen ipsum, cui jungitur, adauget summopere; quamque poenis Lex vindicat in singulos casus indictis, de quibus in posterum dicendum erit. Hic solum animadvertisse sufficiat vim publicam ex Lege Iulia aquae, et ignis interdictione punitam fuisse (19), cui poenae deportatio successit (20); postremo, si atrocior, capite quoque, in humiliores prae-

(14) *Leg. Praetor ait § turba ff. de vi bonorum raptorum.*

(15) *In d. leg. Praetor ait n. 5.*

(16) *In leg. armorum ff. de verborum significatione.*

(17) *In leg. armatos ff ad leg. Iul. de vi publica.*

(18) *Creman. d artic. 11. §. 5.*

(19) *Leg. qui dolo § damnato ff. eod.*

(20) *§. item lex Iulia de vi instit. de publicis Iudiciis.*

Digitized by Google

sertim (21): Ita pariter in auctores Edictum patrium sanxerat (22), lenius cum multitudine.

CAPUT XII.

De Auctoritatis publicae abusu.

LXIV. Titulus ipse definitionem criminis exhibet; vim publicam ab agentis persona dixerat Imperator *Leopoldus* eandem statuens poenam (1): Gravissimum profecto scelus; proditor enim est. qui Principi fidem jurejurando speciali praestitam ita turpiter fallit, ex quo illud etiam fit, ut obsequium, quod Principi debent Subditi, defervescat quodammodo, sicut et amor, quem fovere, atque alere Magistratibus spectat, et cunctis, qui Ejus nomine, et jussu Rempublicam gerunt; ipsi enim sunt quasi foedera, et vincula mutui amoris inter Illum, et Subditos. Meritas igitur dederunt poenas *Sejanus* (2), *Eutropius* (3), et caeteri omnes, qui Principis gratia, et redundanti, nec quidem desideranda,

(21) *Paul. lib. 5. sentent. tit. 26. n. 1.*
(22) Latum 30. *Iun.* 1790.
(1) *Cod. Leopold.* §. 64.
(2) *Tacit annal. lib. 5. cap. 8., Murat. annal. Ital. sub anno* 31.
(3) Vid. sup. §. 53. *not.* 33.

Digitized by Google

fiducia turpissime abusi Subditos vexaverunt crudeliter.

LXV. Auctoritate publica, ut liquet, abuti solummodo possunt, qui ea sunt praediti, quemadmodum Magistratus, Provinciarum Praesides, Iudices, et reliqui omnes, quibus vel a Principe, vel a Magistratibus Ipsius nomine concessa fuit, ideoque ad illos tantum crimen hoc pertinet. Abutuntur Magistratus, Iudices, Ministri, cum scienter, et dolose quid contra Ius mandant, decernunt, statuunt in Subditos, praesertim vero in Viduas, Pupillos, aliosque ex aetate, statu, et sexu majoris patrocinii indigentes; ita pariter, cum Reum probe cognitum tolerant, atque etiam impunitum dimittunt (4); item, cum plus aequo exigunt (5); sicut et, cum vectigalia exercentes nova inducunt (6): Abuti quoque dicuntur Lictores, Custodes carcerum, qui Reum jam in vincula redditum quomodocunque laedunt, et vexant (7).

LXVI. Cum autem abusui, et quidem sordido jungitur vis quaedam animo, concussio

(4) *Cod. Leopold.* §. 64., *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 12., *Paolett. d. lib.* 5. *tit.* 1.

(5) *Leg. unic. Cod. de superexactoribus*, *Authentic. collat.* 9. *tit.* 6., seu *Novell.* 124. §. *et hoc quoque*.

(6) *Leg. qui nova ff. ad leg. Iul. de vi publica*, *Paolett. loc. cit.*

(7) *Raynald. observat. crim. cap.* 4. *supplet.* 2. *n.* 106.

dicitur, quae definiri potest „ terror injuste alicui injectus, pecuniae, vel rei extorquendae gratia „ (8), proprietate nominis ex eo ducta, qui aedificium jam ruinosum concutit, ut quod inde ceciderit auferat, vel arborem, ut pomis cadentibus fruatur (9): Concussionis crimine ille etiam arguitur, qui, publica auctoritate cum careat, ipsam nihilominus simulat; qui enim ne quidem simulat actione quod metus causa tenetur, quemadmodum suo loco videbimus.

LXVII. Plurima concussionis exempla suppeditant *Ciceronis* actiones adversus *Verrem*, qui inter Siculos Praeturam gesserat: Quaedam habet *Paolettus* ex textu (10); enim Magistratus videlicet mortis, verberum, aut alio quocunque terrore pecuniam (11), rei alicujus venditionem (12), aut quid aliud per injuriam alicui extorquet (13); quo pertinet et Accu-

(8) *Paolett. instit. crim. lib.* 4. *tit* 2., *Matth. lib.* 47. *ff. tit.* 7. *cap.* 1. Concussionem latius definit *Donell comment. jur. civil. lib.* 15. *cap.* 40. §. 2. „ Maleficii genus, cum metu Potestatis publicae, nostrae, alienae, aut Iudicii „ futuri illicite injecto aliquid extorquetur ab „ aliquo id agente, ut alicujus rei praestatione „ se eo metu liberet „.

(9) *Donell. loc. cit.*, *Crus. de indiciis part.* 2. *cap.* 29. *n.* 34.

(10) *D. tit.* 2.

(11) *Leg. continet* §. *etenim ff. de eo, quod metus causa*.

(12) *Leg. si per impressionem Cod. eod.*

(13) Quasi latrocinari videtur qui terret, ut

rator publicus falsam criminationem minitans (14); Metator quoque, siquid extorqueat, dum hospitia militibus praebenda designat (15), simili modo Centurio, aut alius quilibet, cui delectus militum Auctoritate publica mandatus fuerit, si quidpiam ab aliquo exegerit, ut tyrocinium evitaret (16); atque haec quidem, et id generis alia de illis, qui officio, aut potestate quacunque sunt praediti: Qui vero eam simulant, licet abusus actione teneri nequeant, nihilo tamen minus graviter peccant in Principem, cum nomen Auctoritatis usurpant, quam soli Ipsi concedere pertinet; qui falsa videlicet usurpant insignia; qui Praesidis, aut Potestatis cujuscunque simulant jussum, ut pecuniam, aut quid aliud extorqueant (17).

ex *Martiali* notat *Lampred. Iur. public. univers. part* 1. *cap.* 10. §. 7. *in not.*; extorquere vero qui simpliciter vexat *Farinac. quaest. III. n.* 50., *Vermigliol. consil.* 143 *n.* 14.; quod si sponte datum, repetundarum actio succederet *leg. eadem ff ad leg. Iul. repetundarum*, *Voet. in pandect. lib.* 47. *tit.* 13. *n.* 1. *in fin.*

(14) *Leg. concussionis ff. de concussionibus.*

(15) *Leg. illicitas §. illicita, §. et ne tenuis ff. de officio Praesidis.*

(16) *Leg quod evitandi Cod. de condict. ob turpem causam.*

(17) *Leg.* 1. *ff. de concussionibus*, *leg. eos qui §. ult. ff. ad leg. Cornel. de falsis*. Plures ejusmodi Sycophantas sub prima nostri temporis irruptione Gallorum territas Gentes vexasse nemo est, qui ignoret.

LXVIII. Crimen hoc magis, minusve pro qualitate admissi fuisse coercitum apud Romanos observat *Matthaeus* (18); eodem jure Nos quoque usi fuimus diu: Relegatio, deportatio, cui successere triremes (19), nunc vero opus publicum, poena videtur accommodatior delicto, eamque sanxerunt reapse patriae Leges: Reos, qui fungerentur officiis, *Domitianum* notasse testatur *Suetonius* (20), ideoque, ut infames, ad illa fiebant inhabiles; hoc idem ex Legibus nostris (21).

CAPUT XIII.

De Repetundis

LXIX. A repetendis (antiquitus repetundis) pecuniis, quas Magistratus, aut alii quicunque in officio positi indebitas acceperint, criminis nomen ductum est (1); hoc autem a concussione in eo differt, quod non terrore, aut vexatione, sed sponte pecunia, vel quidquid aliud aut ipsis datur, aut promitti-

(18) *D. tit. 7. cap. 2.*
(19) *Sabell. in summ. §. poena n. 24., Caball. resolut. crimin. cas. 8. n. 45., cas. 22. n. 9.*
(20) *In vita Domitiani cap. 8.*; Vid. *Gloss. in d. leg. eadem verb. postulare.*
(21) *Supra cit. §. 65. not. 4.*
(1) *Cic. pro Cluentio cap. 37., leg. 1. ff. ad leg. Iul. repetundarum*, quam idem *Cic. de claris Oratoribus cap. 27. Pisoni* Tribuno tribuit.

Digitized by Google

tur, ut vel omittant facienda, vel non debita faciant (2); hinc non ille solum delinquit, qui accipit, sed etiam qui dat, sicut et socii, seu personae interpositae (3); quin et pactio ipsa delictum constituit.

LXX. Accipere porro vetitum, etsi nil contra jus ab eo petatur, qui dat (4), quin imo ne a nemine quidem alio praeter munuscula accipere licitum „ Sobrinis exceptis, propio„ reve gradu, Cognatis suis, Uxoreve „ (5). Ita quippe Romano Iure, a quo insuper legimus interdictos contractus Praesidibus, aliisque Ministris, emptiones praesertim, necessariis exceptis, ne obsequium fortasse viliores faceret (6); foenora quoque iis vetita (7); eorum pariter culpae imputatum, siquid Uxores mali, aut subjecti Ministri admisissent (8); id praeterea cautum, ut quicunque munus aliquod exercendum susciperet jurejurando pro-

(2) *Leg.* 2. *et seq. ff. eod.*

(3) *Leg. in comites ff. eod., leg. sancimus Cod. eod., leg.* 1. *authentic. novo Iure. Cod. de poena Iudicis, qui male judicavit.*

(4) *Leg. vel quo magis ff. ad leg. Iul. repetundarum.*

(5) *Leg.* 1. *ff. eod., leg. plebiscito ff. de officio Praesidis, Matth. lib.* 48 *ff. tit.* 8. *cap.* 1. *n.* 10.

(6) *Leg. unica Cod. de contractibus Iudicum.*

(7) *Leg. principalibus ff. de rebus creditis.*

(8) *Leg. observare ff. de officio Proconsulis, leg.* 1. *Cod. ad leg. Iul. repetundarum;* doli etiam teneri poterunt, ubi scientes dissimulent *Matth. d. cap.* 1. *n.* 6.

fiteretur nihil unquam accepturum se neque etiam post ipsam expletam administrationem (9): Haec eadem fuerat *Platonis* sententia „ Qui Patriae (inquit ille) in aliqua re „ ministrant nullo modo munera accipiant, „ nec ulla occasione, aut ratione nobis persuadeamus in rebus quidem bonis suscipienda esse munera, in aliis minime; nam nec „ cognoscere facile est, neque, cum cognoveris, continere „ (10).

LXXI. Nec autem pecunia tantum, et munera, aut quid sordidum simile materiam crimini praebent, sed ipsa etiam ambitio, quam avaritiae aequiparat *Hobbes*. (11): Quot enim defecisse non constat gloriola vana, aut sibi captandae gratiae illectos illecebris? neque enim semper id rectum est, quo eorum tendere noverint studia, quibus assentari desiderant, et morem gerere, quicunque illi sint, seu multitudo scilicet (12), seu Summi ipsi Viri, quorum praeoccupata quandoque opinio, velint, nolint, errori est obnoxia. Qui hoc in genere peccant praevaricatores etiam vocantur, nomine, ut ait *Plinius*, in Forum translato, et ab aratoribus ducto, qui, nisi arent

(9) D. *leg. sancimus*, quae ipsa quoque proscripsisse videtur munuscula, et xenia; haec etiam Divina Lex vetuerat *Exod. cap.* 23. v. 8., *Deuteronom. cap* 16. v. 19., *Eccl. cap.* 20. v. 31.

(10) *De Legibus Dialog.* 12.

(11) *De Cive ep st dedicat.*

(12) *Sive etiam Venus aliqua.*

incurvi, et distortis, ut vari, cruribus, praevaricari dicuntur (13); sive (ita quidem *Cicero*) ab eo, „ qui in contrariis causis quasi „ varie esse positus videtur „ (14).

LXXII. Proprie tamen praevaricatio ad Accusatores pertinet; ad ipsos etiam Causarum Patronos trahitur (15): Praevaricatur Accusator, qui colludit cum Reo, probationes dissimulans, et falsis illius indulgens excusationibus (16), sicut et ille, cui denuntiare crimina pertinet (17); ita pariter qui praescriptum in tempus (18), aut in totum ab accusatione, quasi terga vertens, dolose, et citra abolitionem desistit, ideoque tergiversari dicitur (19); neque ipsi Reo licitum Accusatorem corrumpere, causis exceptis, quae sanguinis poenam praeseferunt (20), in quibus, et in crimine falsi Imperatores Accusatori

(13) *Natural. histor. lib.* 18. *cap.* 19., *Horat. sat.* 3. *lib.* 1.

(14) *Orat. partit. cap.* 36.

(15) *Leg.* 1. *ff. de praevaricatoribus.*

(16) *Leg.* 1. §. *Praevaricatorem ff. ad S. C. Turpilianum.*

(17) *Matth. lib.* 47. *ff. tit.* 9. *cap.* 1. *n.* 6.

(18) *Leg. ab accusatione ff. ad S. C. Turpilianum*

(19) D. *leg.* 1. §. 1., *et* §. *siquis*, *leg. si interveniente*, *leg destitisse ff eod.*

(20) *Leg. in omnibus ff de praevaricatoribus*, *leg.* 1. *ff de bonis eorum*, *qui ante sententiam*, *Matth. d. tit.* 9. *cap.* 2. *n.* 3.

concesserant transigere, sive pacisci (21). Praevaricantur porro Causarum Patroni, qui cum Clientis Adversario colludunt, probationes dissimulant, Causam deserunt, ut ipsi Adversario opitulentur; falsi etiam tenentur, quoties instrumenta Clientis penes ipsos deposita Adversario prodiderint (22): Nihil tamen Patrono imputandum, qui Clientis deserat Causam, quam desperatam agnoverit (23), quemadmodum impune illi est, ubi Cliens eum dimiserit, Adversarii patrocinium suscipere (24).

LXXIII. Repetundarum crimen ex XII. Tabularum Legibus capite multatum fuisse in Iudices testatur *Gellius* (25), quae poena *Platoni* etiam arriserat (26): Interdictione aquae, et ignis, deportatione, relegatione, exilio pro modo admissi vindicatum fuit in posterum; capite etiam si ob Hominem neci traden-

(21) *Leg. transigere Cod. de transactionibus*, qua adulterium excipitur: Apud Nos nullo in crimine Accusatori publico transigere licitum.

(22) *Leg.* 1. *§. is qui deposita ff. ad leg. Cornel. de falsis*, *Matth. d. cap.* 1. *n.* 5.

(23) *Leg. rem non novam §. Patroni Cod. de Iudiciis*.

(24) *Matth. loc. cit.*

(25) *Noct. Attic. lib.* 20. *cap.* 1., En verba Legis juxta *Gothofred.* „ Si Iudex, Arbiterve jure datus ob rem dicendam pecuniam acceptsit, „ capital esto „

(26) *Dialog.* 12. *de legibus.*

Digitized by Google

dum pecunia accepta fuisset (27); quadrupli quoque ex litis aestimatione obtinuit poena, quae Fisco cedebat, si utraque ex parte turpitudo adfuisset, secus vero, inter spoliatum, et Fiscum dividebatur (28). Praevaricatores magis minusve extra ordinem coercebantur (29), non sine infamiae nota (30), quam etiam repetundarum reis indictam fuisse observat *Gravina* (31) ex *Iuvenalis sat.* 1., qui de *Mario* repetundarum reo in exilium pulso haec habet

. . . . at hic damnatus inani
Iudicio, quid enim salvis infamia nummis?
Exul ab octava Marius bibit, et fruitur . . .

Haec eadem nota, officii privatio, et ad quaecunque in posterum consequenda interdictio statuta fuit apud Nos ex veteri patria Lege (32) Magistratibus, aliisque Ministris, qui

(27) *Leg. lex Iulia §. hodie ff. ad leg. Iul repetundarum, leg siquis* 38. *§. Iudices ff de poenis, Gravin. de orig. Iur. lib.* 3. *cap.* 94.

(28) *Leg. Consiliarios Cod. de Assessoribus.*

(29) *Leg. sciendum ff. de praevaricatoribus, leg. si pro eo Cod. ad S. C. Turpilianum.*

(30) *Leg.* 1., *leg. athletas §. item ff. de his, qui notantur infamia, leg. spurii §. qui judicii ff. de Decurionibus.*

(31) *D. cap.* 94, *Gloss. in leg. eadem verb. postulare ff ad leg Iul. repetundarum.*

(32) Lata 19. *Decembr.* 1576.; Vid. infra *cap* 15. §. 82. *not.* 32.; altera Lex prope similis lata fuerat 12 *Febr.* 1549., qua insuper Iudici vetitum persolvere litem inter sibi ipsi Conjunctos ad tertium gradum canonicum.

hac super re deliquissent; caeterum poena fuit pecuniaria, et Fisco adjudicatum quod turpiter datum; pecuniaria pariter poena, minori tamen, corruptores, lite ipso facto perdita (33), plecti Lex voluit; severior in proxenetas: Huic Legi altera posterior, et recens accommodavit sanctionem, pecuniaria tamen subiata poena, et ea, quae corpus affligit, Romanorum exemplo crimini restituta (34); atque ita, mea quidem sententia, sapienter factum.

CAPUT XIV.

De fumi venditione.

LXXIV. Fumi venditores cum *Duareno* eos dicemus „ qui, cum Magistratibus, sive „ Iudicibus familiares sint, aut se tales esse

(33) Hoc idem Romano Iure in criminalibus Causis citra poenam sanguinis *leg. ult. ff. de praevaricatoribus*.

(34) *Cod. Leopold* §. 64 65. Munera quaecunque, et quibuscunque in officio positis absolute etiam vetuerat Edictum 8. *April.* 1784. §. 9. Quae autem optimum Magistratum deceant, et facienda sint, providenter edixerat eximius Legislator noster in suis instructionibus ad Provinciarum Rectores 28. *April.* 1781., quas memoriae tradidisse, et servasse penitus (utinam sane) idem est, ac plenissime officio fungi.

Digitized by Google

„ mentiantur, simulato commendationis officio, eventum sententiae accepta pecunia „ vendunt litigatoribus „ (1): Hi autem ab illis, qui assidui antiquitus dicti sunt, in eo differunt, quod primi simulabant, assidui vero Magistratus, et Iudices reap.e adibant, et quidem intempestive, ac frequentius, iis assentabantur enixe, jucundi aderant in conviviis, lavacris, matutina etiam salutatione (2); id autem totum, ut eorum gratiam inirent, et quod vellent consequerentur, ut ex *Libanio Sophista* notat *Gothofredus* (3), qui horis pomeridianis domum Iudicis ingredi Lege vetitum ideo potissimum dicit quod, Iura cum silerent eo tempore, nec Iudex, ut mane,

(1) *Disput. anniversar. lib.* I. *cap.* 25.
(2) Cui alludit *Sectan. sat.* 2. *lib.* 1.; Vid. *cap.* 9. *not.* 11. Morem assentatorum passim, et venuste describit *Iuvenal Sat.* 3.

. . . . laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici;
Et longum invalidi collum cervicibus aequat
Herculis Antaeum procul a tellure tenentis:
Miratur vocem angustam, qua deterius nec
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.
. . . . Rides? majore cachinno
Concutitur: Flet, si lacrymas aspexit amici,
Nec dolet: Igniculum brumae si tempore poscas,
Accipit endromidem, si dixeris, aestuo, sudat.
. . . . laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.

(3) *In Cod. Theodos. lib.* 1. *tit.* 7. *leg. ne quis.*

publice Ius diceret, facile secretis illis congressibus corrumpi poterat. Atque haec quidem de assiduis: Optandum tamen, ut etiam reliqui omnes, qui forte Magistratuum amicitia fruuntur, aut Principis gratia, nunquam illa abuterentur vel minimum, neque aliud responsi patrocinium postulantibus darent, quam quod importunis illis *Horatius* (4).

LXXV. Ab assiduis etsi fumi venditores differant, id tamen utrisque est commune consilii, ut inde lucrentur: Fumum caeteris fortasse frequentius Magistratuum famuli vendunt: Quod Romanum Ius cavit in Magistratus, ubi Uxores peccassent (5), id aeque, ubi privati eorum famuli, intelligendum videtur, aut certe id statuendum teneri illos, quoties, cum famulum semel hac de re suspectum noverint, non eum dimiserint statim: Quapropter necesse est, ut in famulos vigilent; quidquid enim etiam aliunde sordidi ipsi admiserint in Dominorum contemptum, et quasi de-

(4) Septimus octavo propior jam fugerit annus,
Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
In numero, dumtaxat ad hoc quem tollere rheda
Vellet iter faciens, et cui concredere nugas
Hoc genus: hora quota est? Thrax est Gallina Syro par?
Matutina parum cautos jam frigora mordent:
Et quae rimosa bene deponuntur in aure.
Sat. 6. lib. 2.

(5) Vid. *cap.* 13. §. 20.

decus recidit, quod Romae frequens suo tempore *Iuvenalis* dolet (6)

. . . . omnia Romae
Cum pretio: Quid das, ut Cossum aliquando salutes?
Ut te respiciat clauso Vejento labello?

LXXVI. Gravius etiam delinquunt qui non Magistratuum, sed ipsius quoque Principis favorem jactantes omnia ad eorum nutum facturum pollicentur, ut inde pecunias extorqueant (7): *Vetronius* quidem *Turinus* pravitatem sceleris expertus est; hunc enim Imperator *Alexander*, cujus familiaritate abusus temere, et turpiter fuerat, fumo ex viridi incensa stipite admoto necari jussit, Praecone interim clamante „ Fumo punitur qui vendidit fumum „; neque ulli in posterum fandi familiariter copiam concessit, nisi Praetore, aliisque praesentibus (8).

LXXVII Caeterum ex Romanorum Iure fumi venditores relegatione, atque etiam capite pro modo admissi fuisse coercitos habemus a *Paulo* (9); fustibus, tanquam Iudici injurios, plectendos monet *Ulpianus* (10); illos etiam teneri, qui dant, vel promittunt, *Diocletiani*,

(6) *D. sat.* 3.
(7) *Scannarol. de visit. carcer. lib.* 1. §. 13. *cap.* 6. *n.* 9.
(8) *Lamprid. in Alexandr., Murat. annal. Ital. sub anno* 227.
(9) *Lib.* 5. *sentent. tit.* 25 *n* 13.
(10) *Leg. item apud §. idem ait ff. de injuriis.*

et *Maximiani* Lex voluit, quae tamen ad eos praecipue referenda videtur, qui Iudicis Comitibus dant, personis videlicet aliquo in officio positis (11); etsi neque iis fumi venditoribus dare, qui nullo publico funguntur officio, impune penitus credam; res enim semper nescio quid turpitudinis redolet, adeo quidem, ut repetere quod dederint nequeant. et Fisco applicetur Ita apud Nos decisum fuit prope finem praeteriti saeculi in Causa *Marinae* cujusdam, quae Principis ementito favore pluries fumum vendiderat, quaeque fustibus caesa et dein carceri ad tempus tradita poenas criminis dedit.

CAPUT XV.

De Ambitu

LXXVIII. **A**mbire ab *am*. et *ire*, littera *b* interposita, idem significat, ac circum ire (1); hinc ambitus nomen ductum, crimen, quo illi irretiuntur, qui sibi honores corruptis suffragiis clam comparant (2); qui enim apud

(11) *Leg. qui explicandi Cod. de accusationibus*, et ibi *Brunneman.*

(1) *An* apud veteres Latinos idem sonabat, quod circum, ut notat *Macrob. Saturnal. lib.* 1. *cap.* 16.

(2) *Paolett. instit. crimin. lib.* 4. *tit.* 8.

Romanos, quorum Gens honorum studiosissima hos petebant, candida induti toga, ut erat in more positum (3), circum ibant, ambiebant. Populique favorem, cui suffragia spectabant, aucupari conabantur assidui salutatione, et nomenclatione servo conducto, assentatione, blanditiis, amicorum commendatione, aliisque id generis artibus, quas longo ordine refert *Quinctus Cicero* ad Fratrem (4), atque ipse etiam frater *Marcus Tullius* brevi epilogo enumerat in oratione pro *Lucio Murena* (5), pariterque recenset *Horatius* his versibus (6)

Si fortunatum species, et gratia praestat,
Mercemur servum qui dictet nomina, laevum
Qui fodicet latus, et cogat trans pondera dextram
Porrigere: Hic multum in Fabia valet, ille Velina;
Cuilibet hic fasces dabit, eripietque curule,
Cui volet, importunus ebur; frater, pater adde,
Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.

LXXIX. Hujusmodi tamen artes, utcunque nescio quid indecorum redolerent, nam, ut ait *Plautus* (7),

(3) *Ascon. argum. in Tog cand* Hinc Candidati dicti; togae autem cretam addebant, ut splendesceret, atque ita significarent se pure, non pecunia, aut muneribus ambire.

(4) *Commentar. de petitione Consulatus.*

(5) Quem hujus criminis reum accusaverat *Servius Sulpicius* ipsius aemulus in Consulatu.

(6) *Epist.* 6 *lib.* 1. Non dissimiles habet *Sestanus*, de quibus *cap.* 9. *not.* 11.

(7) *In prolog. Amphitr.*

Virtute ambire oportet, non favitoribus,
Sat habet favitorum semper, qui recte facit,
criminatione vacabant apud Romanos: Vetita autem ex eorum Legibus munera, largitiones, pecunia, et quidquid aliud sordidi a Candidatis adhibitum, ut suffragia paciscerentur, atque emerent. Neque porro tot Leges vigente Republica, ut *Heineccius* observat (8), latae fuerunt, quot ad criminis hujus compescendam licentiam, eo impudenter perductam, ut qui mercabantur suffragia secum haberent simul cum nummis Interpretes ad inducendam pactionem, Sequestres, apud quos pecunia deponebatur, et Divisores, qui singulis deinde distribuerent nummos: Proinde nil mirum, quod Numidarum Rex Roma egressus, ubi cuncta venalia compererat, eo saepe tacitus respiciens postremo dixerit „ Ur„ bem venalem, et mature perituram, si em„ ptorem invenerit „ (9).

LXXX Quae unica in Digestis Lex exstat de ambitu ad *Iulium Caesarem*, et *Augustum* pertinet (10), quorum alter, ut etiam fortasse efficacius occurreret sordibus, factionibus tumultuariis, et rixis, quae inde emanabant

(8) *Antiquitat. Roman. lib.* 4. *tit.* 17. §. 78., qui singulas enucleate recenset, Pinariam videlicet, Poeteliam, Baebiam, Corneliam, Mariam, Fabiam, Calpurniam, Tulliam, Aufidiam, Liciniam, Pompejam, Iuliam tandem.
(9) Apud *Sallust. Bell. Iugurth.*
(10) *Gravin. de orig. Iur. lib.* 3. *cap.* 98.

quandoque (11), ipse idem commendabat Candidatos in scriptis dimidia ex parte unicuique Tribui (12); a ter Fabianis, et Scaptiensibus Tribulibus, unde originem duxerat, et adoptionem, singula milia nummum die Comitiorum a se dividebat, ne quid a quoquam Candidato desiderarent (13). Id autem notabile hac Lege cautum, ut qui alium ipsius criminis reum convinceret, restitueretur in integrum, ab infamiae videlicet nota liber evaderet, nec tamen a multa, quae in aureos centum statuta legitur (14); haec pariter multa ex subsequentibus S. C., et Principum Constitutionibus in eum indicta fuit, qui novum vectigal instituisset, et qui accusator, vel reus Iudicis domum, ob corruptelae periculum, ingrederetur. Verum adversus priorem alia, et quidem praestantior concurrit actio, ut alibi dictum est (15); in alterum autem nulla nunc temporis actio, neque enim cuiquam vetitum domi etiam adire Iudicem: Nihil sane verendum ubi Gentium nec officia

regina pecunia donat,

Secton sat. 4. lib. 1.

nec nisi Religione, sapientia, et moribus

(11) *Heinecc. loc. cit.* §. 77.

(12) *Sueton. in Caesar. cap.* 41.

(13) Idem *Sueton. in August. cap.* 40.

(14) *Leg unica ff. ad leg Iul. de ambitu*; Vid. *Cicer pro A. Cluentio cap.* 36.

(15) *Cap.* 12. §. 65., *Matth. lib.* 48. *ff. tit.* II. *cap.* 2.

probati eliguntur Iudices (16); sin minus. si officia videlicet venundarentur, erubescendum esset, inquit indignatus *Matthaeus* (17). eum punire, qui emit, et vendit; ex quo illud etiam fieret, quod qui probitate excellunt, virtute, ac doctrina, abstinerent officiis; illorum siquidem societatem refugerent, qui vafris artibus, caeteroquin immeriti, ea turpiter consecuti fuissent (18).

LXXXI Propria tamen criminis actio cum in eum obtineat, qui sibi honores corruptis suffragiis etiam comparat, hinc patet, ut ipse *Modestinus* testatur (19), hanc in Urbe jandiu cessatam suo tempore (20); Comitiorum

(16) Nec parum confert, ut alibi dixi, quod cujuscunque sententiae rationem diserte, et pacato animo in scriptis edant; ita quippe arcentur indocti, et eorum, qui scientiam callent, ignaviae, aut malae fidei, si forte in his peccent, occurritur.

(17) *D. cap.* 2. *n.* 3., ubi verba ipsa eximii Imperatoris repetit.

(18) Ita *Carrard. Iurisprud. crim. part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 6. §. 3. Hinc etiam *Iuvenalis sat.* 3. longo conquestu, quod Roma novitatis amans, suorum oblita Civium, et morum, hiantes praeferret Graeculos, ita demum iratus exclamat

Horum ego non fugiam conchylia? Me prior ille
Signabit? Fultusque toro meliore recumbet
Advectus Romam, quo pruna, et coctona vento?

(19) *In d. leg. unica.*

(20) Floruit hic I. C. sub *Alexandro*, *Maximino*,

quandoque (11), ipse idem commendabat Candidatos in scriptis dimidia ex parte unicuique Tribui (12); a ter Fabianis, et Scaptiensibus Tribulibus, unde originem duxerat, et adoptionem, singula millia nummum die Comitiorum a se dividebat, ne quid a quoquam Candidato desiderarent (13). Id autem notabile hac Lege cautum, ut qui alium ipsius criminis reum convinceret, restitueretur in integrum, ab infamiae videlicet nota liber evaderet, nec tamen a multa, quae in aureos centum statuta legitur (14); haec pariter multa ex subsequentibus S. C., et Principum Constitutionibus in eum indicta fuit, qui novum vectigal instituisset, et qui accusator, vel reus Iudicis domum, ob corruptelae periculum, ingrederetur. Verum adversus priorem alia, et quidem praestantior concurrit actio, ut alibi dictum est (15); in alterum autem nulla nunc temporis actio; neque enim cuiquam vetitum domi etiam adire Iudicem: Nihil sane verendum ubi Gentium nec officia

regina pecunia donat,

Secton sat. 4. *lib.* 1.

nec nisi Religione, sapientia, et moribus

(11) *Heinecc. loc. cit.* §. 77.

(12) *Sueton. in Caesar. cap.* 41.

(13) Idem *Sueton. in August. cap.* 40.

(14) *Leg unica ff. ad leg Iul. de ambitu*; Vid. *Cicer. pro A. Cluentio cap.* 36.

(15) *Cap.* 12. §. 65., *Matth. lib.* 48. *ff. tit.* 11. *cap.* 2.

probati eliguntur Iudices (16); sin minus. si officia videlicet venundarentur, erubescendum esset, inquit indignatus *Matthaeus* (17), eum punire, qui emit, et vendit; ex quo illud etiam fieret, quod qui probitate excellunt, virtute, ac doctrina, abstinerent officiis; illorum siquidem societatem refugerent, qui vafris artibus, caeteroquin immeriti, ea turpiter consecuti fuissent (18).

LXXXI Propria tamen criminis actio cum in eum obtineat, qui sibi honores corruptis suffragiis etiam comparat, hinc patet, ut ipse *Modestinus* testatur (19), hanc in Urbe jamdiu cessatam suo tempore (20); Comitiorum

(16) Nec parum confert, ut alibi dixi, quod cujuscunque sententiae rationem diserte, et pacato animo in scriptis edant; ita quippe arcentur indocti, et eorum, qui scientiam callent, ignaviae, aut malae fidei, si forte in his peccent, occurritur.

(17) *D. cap.* 2. *n.* 3., ubi verba ipsa eximii Imperatoris repetit.

(18) Ita *Carrard. Iurisprud. crim. part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 6. §. 3. Hinc etiam *Iuvenalis sat.* 3. longo conquestu, quod Roma novitatis amans, suorum oblita Civium, et morum, hiantes praeferret Graeculos, ita demum iratus exclamat

Horum ego non fugiam conchylia? Me prior ille
Signabit? Fultusque toro meliore recumbet
Advectus Romam, quo pruna, et coctona vento?

(19) *In d. leg. unica*.

(20) Floruit hic I. C. sub *Alexandro*, *Maximino*,

Digitized by Google

enim potestas *Tiberio* imperante, qui *Augusto* successerat, ad Senatum translata fuerat, et a Senatu denique ad Principem; ideoque ad Municipia solummodo Legis Iuliae sanctio, quam *Modestinus* retulit, pertinet, sicut et pecuniaria multa: Nam ex anterioribus Legibus ambitus in Urbe plectebatur exilio (21), interdictione autem aquae, et ignis ex Lege ipsa Iulia (22). Verum nundinae quidem suffragiorum cessaverunt in Urbe sub Imperatoribus, nec autem idcirco alterius generis nundinae: Qui enim honores in posterum, et dignitates petebant, non Populum, qui cum pretio

. . . . . dabat olim

Imperium, fasces, Legiones, omnia . . . (23), sed Principis familiares adibant; hi vero, mali semper sub malis, aut non bene cautis, pretio pariter pacto cum postulantibus, Principis gratia, et favore abusi turpiter Rescripta carpebant, et venditabant (24); cui tan-

et *Gordiano*, annos videlicet post *Augustum* plus ducentos *Heinecc. hist. Iur. civ. lib.* 1. *cap.* 4. §. 349, *Murat. annal. Ital. sub anno* 223.

(21) *Heinecc. antiquit. Rom. d.* §. 78.

(22) *Gravin. d. cap.* 98.: Deportatione ex *Bocer.* contendit *Caravit. instit. crim. lib.* 4. §. 1. *cap.* 71. *n.* 8., quae poena sub *Augusto* reapse interdictioni successerat *Heinecc. antiquit. Rom. lib.* 1. *tit.* 16. §. 21.; deportationem pariter innuit *lex unica Cod. hoc tit.*

(23) *Iuvenal. sat.* 10.

(24) *Gothofred. in Cod. Theodos. lib.* 9. *tit.* 26.

dem abusui finem imponere aggressus est *Iustinianus* celebri Edicto, quo inter caetera cautum, ut electi ad officia sacramento solemni, cujus edidit formulam, profiterentur nihil se vel dedisse, vel promisisse, vel idcirco daturos (25).

LXXXII. Quae poena in ambitum statuta fuerit Romano Iure vidimus passim: Morte multatum fuisse scripsit *Polybius* (26), cujus tamen historia ad tempora pertinet, quae multo antecedunt Legem Iuliam; mortem autem civilem interpretatur *Matthaeus* (27): Ambitus poenam in eos etiam decretam legimus, qui ratione non reddita idem officium repetere ausi fuissent (28); sicut et in eos, qui Rescriptum aliquod contra S. C., vel Leges fraudulenti impetrassent, quos infamiae nota statuta ambitui, et publicatione tertiae partis bonorum plecti Lex voluit (29): Quid in Simoniacos Romanum Ius caverit, quid Canonicum, quid patrium alibi dictum est (30); quod autem Ius patrium statuit in reos repetundarum, ut pariter alibi diximus (31), id

(25) *Authentic. ut Iudices sine quoquo suffragio Nowll. 8.*

(26) *Histor. lib. 6.*

(27) *D. tit. 11. cap. 2, n. 1.*

(28) *Leg. unica Cod. ad leg. Iul. de ambitu*; Vid. *leg si aliquid Cod. de susceptoribus.*

(29) *Leg. unica Cod. de Senatus Consultis.*

(30) *Cap. 9. §. 46.*

(31) *Cap. 13. §. 73.*

ipsum in ambitus reos: Verum huc quoque non pecuniariam poenam (32), sed eam, quae corpus affligit, revocandam crederem; neque enim Principi minus injurius est qui nundinatur justitiam, quam qui honores, et dignitates, non sine tacito moerore Civium, quod subdoli, minus fidi, et indigni supplantent honestos, ac bene meritos.

CAPUT XVI.

De Calumnia

LXXXIII. Sapientissime Legislator noster graves inter injurias, quae Reipublicae inferri possint, calumniam recensuit (1); Calumniator enim cum ille sit, qui falsa crimina scienter intendit (2), id temere quantum in eo est agit, ut Magistratus falsa criminatione deceptus iniquitati inserviat, et innocentem insciens vexet, et plectat: Flagitium caeteris pessimum, inquit *Caravita* (3) „ ab „ aliis namque maleficiis, adhibitis custodibus, „ res familiaris servatur, et qui domi manet

(32) In aureos ducentos decretam contra vendentes, in centum contra ementes, et proxenetas, quos insuper bis fune pensos carceri mancipari Lex jussit.

(1) *Cod. Leopold.* §. 66.

(2) *Angel. de delictis part.* 1. *cap.* 26. *n.* 2.

(3) *Instit. crim. lib.* 4. §. 1. *cap.* 10. *n.* 1.

nil mali patitur; sed a calumniantium metu „ quis fiet securus? „ Calumnia, non secus ac falsitas, re, scriptis, et verbis admitti potest; verbis tamen frequentius: Re quidem, cum penes aliquem, aut illius domi quid fraudulenter reconditur, ex quo delicti, aut transgressionis insimulari possit: Scriptis, cum scelestum chirographum imitatione manus improbo eo consilio exaratum fuerit, et publice redditum, ut is incusetur, cujus nomine scriptum apparet: Verbis denique, atque, ut dixi, frequentius; cum falsae accusationes, aut testimonia in alterius emittuntur perniciem.

LXXXIV. Postremi hujus generis calumnia alia manifesta, et evidens dicitur, praesumpta alia: Evidens, quae statim in oculos incurrit; praesumpta, quae non itidem (4), quae videlicet ex simplici probationum defectu arguitur; non enim, ut ait *Marcianus*, qui non probat, quod intendit, protinus calumniari videtur (5): Ab hac autem calumniae nota excipiuntur Accusatores publici, et reliqui omnes, quibus ex Lege denuntiare crimina pertinet (6), utpote quos vel fama, vera, et falsa renuntians (7), vel fallax quandoque se-

4) *Paolett. instit. crim. lib. 5. tit. 2.*
5) *In leg. 1. ff ad S. C Turpilianum.*
6) *Brunnemann. in leg. ab accusatione ff eod., Clar. §. final. quaest 7., Farinac. quaest. 16. n. 52, Menoch. de arbit. cas. 321. n. 2.*
7) *Quintilian. instit. orat. lib. 5. cap. 3.*

cretus delator decipere potuit, dummodo tamen, si deceptos se dixerint, ad ipsam quoque avertendam suspicionis maculam, illius nomen apud Acta significent (8): Excipiuntur pariter qui necem Parentum, vel Liberorum (9), Tutores, et Curatores, qui Pupillis, et Minoribus illatas persequuntur injurias (10); haeredes quoque, licet extranei, qui testatoris jussu eum accusent, quem sui interitus suspectum dixerit (11).

LXXXV. Evidens, et manifesta calumnia punitur quo ipso tempore innocens accusatus absolvitur (12); haec autem quoscunque tenet, neminem excipit: Accusatores, et qui denuntiant crimina utiles profecto sunt, ut metu contineatur audacia, neque grassetur malorum impunitas: Verum, ubi aperte nimis calumniati fuerint, eadem eorum ratio, ut ait *Cicero* (13), par esse debet, quae canum, qui publice ad furta arcenda alebantur in Capitolio; iis enim parcebatur, si noctu, sed crura suffringebantur, si luce quoque illos latrassent, qui salutatum Deos veniebant. Apertissima tamen calumnia, quemadmodum dixi, requiritur, ut

(8) *Cod. Leopold.* §. 2.

(9) *Leg. Mater*, *leg. calumniae Cod. de calumniatoribus*.

(10) *Leg. si cautiones Cod. de his, qui accusare non possunt*.

(11) *D. leg. Mater* §. 2. *Cod. de calumniatoribus*.

(12) *Leg.* 1. *Cod. eod.*

(13) *Pro Sext. Roscio Amerino cap.* 20.

exceptae Personae teneantur; adeo quidem, ut levis quoque suspicio in Accusatum sufficiat, utcunque argumenta fortiora illum exonerent Accusatori plenissime cognita: Id porro non aeque se habet in reliquos Accusatores, ut observat *Matthaeus* (14), qui improbiorem calumniam, quae in oculos incurrit, ab illa distinguens, quae urgentibus indiciis colligitur, hujus poenam exceptas dumtaxat Personas evadere posse dicit.

LXXXVI. Cum autem ex probationum defectu Accusatus absolvitur, ideoque non objici, sed praesumi solummodo in Accusatorem, cui nulla prosit exceptio, calumnia potest, altera instante Accusato, vel Fisco (15) instituitur quaestio; qua Accusatoris consilium, et mens a Iudice exquiritur, ut inde, si justus error, ignoscat, sin minus, ipsum condemnet (16): Verumtamen sive ex errore, sive alia ex cau-

(14) *Ad lib. 48. ff. tit. 17. cap 3. n. 6.*

(15) *Paolett. loc. cit.*, ubi manifestae calumniae teneri Foeminam dicit, quam peperisse Obstetrices referunt, dum interim adversus alterum, cui postea solicitata blanditiis copiam sui fecit, stupri actionem instituit: Nec tamen desunt, qui agere posse autumant, ubi, cum prior ignotus fuerit error, ex altero solum jacturam nominis fecerit *Raynald. observat. crim. cap. 22. §. 4. n. 134.*, *Bonfin. ad bannim. cap. 6. n. 31.*; laxior sane doctrina, sed quam Tribunalia nostra quandoque suffragio donarunt.

(16) *D. leg. 1. §. sed non utique ff. ad S. C. Turpilianum.*

ea parcendum crediderit Iudex, non ideo, quod poenam calumniae Accusator evasit, ad damna quoque sarcienda, siqua Accusatus fuerit passus, solutus dicitur; ad haec enim quicumque ex ipsa etiam levissima culpa tenetur, neque aliter ex Fisci aerario provida Lex damna refici jussit, quam, ubi Accusator, vel quisquis eorum fuerit causa, non sit solvendo (17).

LXXXVII. Calumniae pariter, ut dixi, tenentur qui falsum testimonium perhibent, vel quidquid aliud dolose agunt, ut innocens in Iudicio damnetur, sive hac de re cum ipso Accusatore convenerint, sive nulla inter eos intercesserit pactio Non tamen calumniae, sed libelli famosi, aut injuriarum actione argui poterit qui falsum delictum (18) alicui extra Iudicium petulanter objecerit, eo quidem consilio, ut famam ipsius laederet, nec autem quid aliud fuerit ausus, ut inde, quem infamaverat, etiam in discrimen adduceret judicialis molestiae, quod veram constituit naturam, et indolem sceleris.

LXXXVIII. Frequens ex accusandi libertate, et libidine hoc scelus fuisse legimus apud Romanos non solum vigente, sed etiam subacta Republica; frequentissimum vero, et

(17) *Cod. Leopold.* §. 46.

(18) Si vero quid aliud jactatum fuerit, praesto est actio ex *leg. diffamari Cod. de ingenuis manumissis*.

impune sub malis Imperatoribus; boni siquidem perfidos Calumniatores acerrime sunt persecuti, quos inter *Titus* (19), *Nerva* (20), *Trajanus*, qui *Titi* exemplo mari in navigio committi eos jussit, furentibus Austris, ita porro, ut, siquos procella servasset, incolerent scopulos (21). Fronti littera K (22) imprimebatur Calumniatoribus publico Iudicio notatis ex lege Remmia (23), qui propterea, utpote frontis non integrae (24), neminem in posterum, nisi fortunas proprias in Iudicio persequi poterant (25); talionis pariter, cum se subscripsissent in crimen, subibant poenam, illam videlicet, quae Calumniatum mansis-

(19) *Sueton. in Tit. cap.* 8.
(20) *Murat. annal Ital. sub. anno* 97.
(21) *Plin. in panegyr. Trajani.*
(22) Quae quidem graeca latine sonat C.
(23) Cujus lator *Q. Remmius* creditur; alii Memmiam a *C. Memmio*, cui tribuunt *Gravin. de orig. Iur. lib.* 3. *cap.* 108.
(24) *Gloss. in leg. quaesitam ff. de testibus.*
(25) *Leg.* 1. §. *item ff. de postulando*, *leg. qui Iudicio*, *leg. sicui crimen* §. *iisdem ff. de accusationibus*, *Cic. pro Sext. Roscio Amerino d. cap.* 20.; qui sic per apostrophen ad Accusatores fere illiteratos sui temporis „ crura quidem vobis nemo suffringet; sed si ego hos „ bene novi, litteram illam, cui vos usque eo „ inimici estis, ut etiam eas omnes oderitis, ita „ vehementer ad caput affigent, ut postea ne- „ minem alium, nisi fortunas vestras, accusa- „ re possitis „.

Digitized by Google

set (26), quemadmodum eandem sunt passi falsi *Susannae* Accusatores apud Hebraeos juxta *Moysis* Legem (27), quam *Solon* mutuatus fortasse Graecis edixit, atque inde in XII. Tabulas transtulerunt Decemviri; merito quidem juxta illud *Ovidii* (28)

. . . . neque enim Lex aequior ulla,
Quam necis artifices arte perire sua.

Quae poena in Calumniatores apud Nos vigeat, alibi notatum est (29); atque haec ipsa talioni, effectu sequuto, aequiparanda videtur.

CAPUT XVII.

De exemptione Reorum

LXXXIX. Si graviter illi delinquunt, qui falsa in perniciem innocentium temere audent, atque ita porro sacra Themidis altaria profanant, graviter et illos peccare fatendum est, qui iisdem ab aris victimas audacter aut subtrahunt, aut conantur subtrahere: Maje-

(26) *Leg. quisquis Cod. de calumniatoribus*: Talio, ut ait *Gravina*, a tale dicitur, quia tale, ac simile rependitur *lib.* 2. *de orig. Iur. cap.* 56

(27) *Daniel cap.* 13. *v.* 61., *Deuteronom. cap.* 19. *v.* 19.

(28) *De arte amandi lib.* 1.

(29) *Lib.* 1. *cap.* 1. *not.* 102.

statem laesisse Lex Iulia edixit eum, qui confessum in Iudicio, et conjectum in vincula emisisset (1); hoc tamen Legibus nostris non aliter accommodandum videtur, quam, ubi ejusdem criminis reus, Perduellis videlicet, emissus fuerit; qui enim Reipublicae hostem dimittit sciens, atque ideo juvat, socius criminis, et perduellis fit ipse quoque (2): Caeterum qui rei quos Reos per vim eximunt, graviter quidem, ut dixi, delinquunt; nec tamen sunt perduelles.

XC. Non solum vero confessos, aut convictos eximere vetitum vel ante, vel post latam sententiam, sed ne quidem illos, qui criminis insimulati, aut alia quacunque legitima causa, mere etiam civili, carceri ad custodiam traditi fuerint; hoc idem obtinet, si, dum eo traducuntur, ex manibus Lictorum eripiantur, aut eorum, quibus hoc ipsum officium Auctoritate publica concreditum sit. Illi etiam tenentur, qui se ipsos eximunt, atque resistunt: Impune iis quidem se conjicere in fugam, neque enim lege ulla tenemur ultro obviam ire supplicio (3); leves quoque igno-

(1) *Leg. cujusque ff. ad leg. Iul. Majestatis, Decian. tractat. crim. lib. 7. cap. 11. n 1.*
(2) *Matth. d lib. 48. ff. tit. 2. cap. 2. n. 21.*, Vid. *Legg. in not. ad eund. Matth. lib. 47. ff. tit. 16. cap 4. n. 5.*
(3) *Pufendorf. de Iure Nat. et Gent lib.* 8 *cap.* 3. § 4., *Burlamaq. princip. du droit polit. part.* 3. *chap.* 4. §. 17., *Filanger. scient. legislat.*

Digitized by Google

scuntur vacuis conatus manibus, ad quos libertatis amor impellit (4): Non tamen impune per vim evadere, carceris fores, aut muros effringere, multoque minus Custodes, Lictores, aut hoc genus alios idcirco laedere.

§ XCI. Quid autem, si injusta prehensio, et captivitas fuerit? Notissima Iurisconsultorum (5) distinctio, utrum necne irreparabile damnum, quaestionem penitus dirimit, ut nemini resistere, et vim vi repellere liceat, quoties remedia oppressioni opportuna non desint (6). Vix raro autem, ac ne vix quidem deesse apud Nos possunt, ideoque ad avertendam licentiam, quae alioquin sub irreparabilis injustitiae velamine audaciores redderet Subditos, provida patria Lex (7) resistere quomodocunque prehensionibus vetuit, etsi minus fortasse justis, quemadmodum Romano Iure effracto carcere evadere ipsis quoque inno-

lib. 3. *cap* 11., „ pars Legis (inquit *Hobbes. de Cive cap.* 14. §. 7.), quae poenaria appel- „ latur, mandatoria est, et loquitur tantum ad „ Ministros publicos „

(4) *Raynald. observat. crim. cap.* 3. § 2. *n.* 234., *et* §. 10. 11. *n.* 32.

(5) *Ad text. in leg.* 1. *Cod. quando liceat unicuique*, *leg. prohibitum Cod. de jure Fisci*, *leg. omnes Iudices Cod. de Decurionibus*, *Bald. in leg ut vim Cod. de justitia*, *et jure. n.* 20.

(6) *Basilic. decis.* 10. *n.* 20, *Bonfin. ad bannim. cap.* 45. *n.* 3., *Guazzin. defens.* 5. *cap* 5. *n.* 23.

(7) Lata 26. *Novembr.* 1704.; est autem alterius exemplar, quae lata fuerat 3. *Octobr.* 1606.

centibus vetitum (8). Quod, si nulla reapse praesto essent remedia (quod tamen, ut dixi, apud Nos ne vix quidem excogitandum videtur) atque immeritae poenae immînerent captivo, tunc sane resistere, et vim vi repellere impune esset (9) ex ipsa Naturae Lege, quae, cum Civilis pessundatur, succedit protinus (10): Custodem quoque interficere captivo licitum nonnulli autumant ad indebitum, atque inevitabile mortis evadendum supplicium (11).

XCII. Carceris muros, aut fores, aut clathros frangere impune diximus nemini: Evadere tamen sine vi aut ex negligentia Cu-

(8) *Leg. in eos ff. de custodia Reorum.*

(9) *Bald. in leg. addictos Cod. de Episcopali audientia, Bartol. in tractat. de carcer. n.* 17., *Covarruv. variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 2. *n.* 12., *Guazzin. d. defens.* 5. *cap.* 4. *n.* 10.; quemadmodum impune, ubi alluvionis, incendii, aut pestis urgeret periculum *Farinac. quaest.* 30. *n.* 185.

(10) *Grot. de Iure bell. et pac. lib.* 1 *cap* 4 §. 7., et ibi *Heinecc.*, *Wolf. instit. Iur. Nat. et Gent. part.* 3. *sect.* 2. *cap.* 7. §. 1079, *Wattel. Iur Gent. lib.* 1. *cap.* 13. § 176., *Simon. de delict. mer. affect. part.* 2. *cap.* 16. § 9.

(11) *Sabell. in summ.* §. *carcer n.* 15., *Menoch. de arbit. cas.* 301. *n.* 16, quorum tamen sententiae non aliter indulgendum existimo, quam, quod occidens excusetur, ut dicunt, a tanto, sed non a toto; Vid. *Cic. de offic. lib.* 3. *cap.* 5. *et seq.*

stodum, aut, quod, illo inscio qui evasit, alii vim fecerint, Lex patria indulget (12); non ita quidem Ius Romanorum (13), sive quod carceris, aeque ac Urbis, moenia, quae violasse capital *Remo* fuit (14), sacra fortasse consideraverint, ut opinatur *Peguera* (15), seu potius ob Iudicis, et Iudicii contemptum (16). Nec autem haec Legis nostrae indulgentia iis quoque concedenda videtur, qui non in custodiae modum, sed poenae, mancipati fuerint carceri, et quidem ea ipsa ratione, qua caeteris nequaquam indulget (17) Lex, quibus aut opus publicum, aut relegatio, aut exilium indictum fuerit; illis enim poenae exordium ex integro (18), his duriorem statuit poenam, quae apud Romanos postremo erat capitis (19).

XCIII. In eos, qui ad custodiam retenti evadere carcere effracto conati fuissent, poenas sumendas, ut dixi, voluit Romanum Ius (20),

(12) *Cod. Leopold.* §. 103.
(13) *Leg.* 1. *ff. de effractoribus.*
(14) *Liv histor. lib.* 1. *cap.* 3.
(15) *Decis.* 1. *n.* 5, cui tamen non arridet *Matth. d. cap.* 4. *n.* 2.
(16) Vid. *Carrard. Iurisprud. crim. sect.* 2. *cap.* 5. §. 3. *n.* 2.
(17) *Cod. Leopold.* §. 58. 104.
(18) Duplicatio, aut perpetuitas poenae, si major decennio, sancita fuit Romano Iure *leg. aut damna* §. *quisquis ff. de poenis.*
(19) *Leg. relegati*, *leg. capitalium* §. *in exulibus ff. eod.*
(20) D. *Leg. in eos ff. de custodia Reorum.*

non ideo tamen, ut tanquam confessos, quemadmodum, ubi criminis insimulati evasissent, nonnullis visum est (21). Moribus nostris conatus in Accusatum, qui neget, habetur instar indicii, nec multi sane momenti, quemadmodum nec ipsa fuga; quando instar indicii, nil aliud ab illo Fiscus ex conatu reposcit (22); secus vero, effracti carceris actionem in eum instituit, sicut in caeteros omnes, qui carceri addicti non sunt: Atque hi porro gravius multo, quam illi delinquunt, nisi forte sanguinis, et affectionis vinculum acrius urgeat, ut leniter inde cum ipsis agendum sit (23): *Grotii* quidem Uxori apud Batavos impune fuit, ut refert *Matthaeus* (24), quae Conjugem, Religionis factionibus implicatum, e carcere inclusum cistae commento callidissimo eduxerat: cujus exemplum, aliunde etiam non novum (25), altera *Alcestis* nuperrime imitata est apud Gallos.

XCIV. Nec autem illi solum delinquunt,

(21) *Bartol. in d. leg. in nos., Menoch. de praesumpt. quaest. 99. n. 45., Clar. §. final. quaest. 21.*, quos merito reprobat *Nan. de indiciis. cap.* 5.

(22) Vid. *Raynald. observat. crim. cap. 7. §. 14. n.* 32.

(23) *Argum. text. in leg. 1. ff. de bonis eorum, qui ante sentent. Bonfin. ad bannim. cap. 45. n.* 33.

(24) *D. cap. 4. n.* 1.

(25) *Raynald. loc. cit. cap. 3. §. 2. n.* 225.

non ideo tamen, ut tanquam confessos, quemadmodum, ubi criminis insimulati evasissent, nonnullis visum est (21). Moribus nostris conatus in Accusatum, qui neget, habetur instar indicii, nec multi sane momenti, quemadmodum nec ipsa fuga; quando instar indicii, nil aliud ab illo Fiscus ex conatu reposcit (22); secus vero, effracti carceris actionem in eum instituit, sicut in caeteros omnes, qui carceri addicti non sunt: Atque hi porro gravius multo, quam illi delinquunt, nisi forte sanguinis, et affectionis vinculum acrius urgeat, ut leniter inde cum ipsis agendum sit (23): *Grotii* quidem Uxori apud Batavos impune fuit, ut refert *Matthaeus* (24), quae Conjugem, Religionis factionibus implicatum, e carcere inclusum cistae commento callidissimo eduxerat: cujus exemplum, aliunde etiam non novum (25), altera *Alcestis* nuperrime imitata est apud Gallos.

XCIV. Nec autem illi solum delinquunt,

(21) *Bartol. in d. leg. in nos., Menoch. de praesumpt. quaest.* 99. *n.* 45., *Clar.* §. *final. quaest.* 21., quos merito reprobat *Nan. de indiciis. cap.* 5.

(22) Vid. *Raynald. observat. crim. cap.* 7. §. 14. *n.* 32.

(23) *Argum. text. in leg.* 1. *ff. de bonis eorum, qui ante sentent. Bonfin. ad bannim. cap.* 45. *n.* 33.

(24) *D. cap.* 4. *n.* 1.

(25) *Raynald. loc. cit. cap.* 3. §. 2. *n.* 225.

qui ipsi vim carceri, aut Lictoribus inferunt, sed et qui Lictores, dum proprio funguntur officio. lacessunt conviciis, multoque magis qui Populum concitant, atque id temere agunt, ut tumultu perterriti re infecta cedant, vel saltem non sine summo eorum discrimine perficere valeant quod exequendum susceperant munus: Quandoque tamen durities ipsa Lictorum irritat Populum, sed non ideo vindicare ei licitum quod Magistratibus spectat; minus utcunque peccet qui irrumpit imprudens ex intempestiva commiseratione, quam qui ex temeritate, et audacia: Ipsi quoque prehensi tenentur, si ad se eximendos inclament Populum; secus vero, ubi nulla eorum instigatione, et consilio vim alii intulerint, ideoque inexpectatae se libertati redditos viderint, qua ipsa ratione impune est evadere, ut diximus, effracto illis insciis carcere.

XCV Ad criminis poenam quod attinet, quid Ius Romanum sanxerit vidimus jam: Ex Legibus nostris juxta modum admissi plectitur; adeo quidem, ut ad summum usque supplicium poena pertrahi possit (26), quando videlicet aut Custos, aut Lictor aliquis interemptus fuerit scelere; tunc enim homicidium ad classem eorum revocandum videtur, quae

(26) Hanc poenam ipsae etiam nuper citatae patriae antiquae Leges pro modo admissi decreverant.

atrociora ex qualitate dicuntur (27): Caeterum ad quantitatem imputationis haec inspicienda potissimum; utrum arma, necne intervenerint; utrum vulnera; utrum in turba; utrum simplex conatus; utrum Custodibus, aut Lictoribus, potius quam carceri illata vis fuerit; utrum Lictorum saevitia causam crimini dederit: Personarum pariter, quemadmodum dixi, habenda ratio; ita et negotii: Exemptio in negotiis civilibus mitius punitur; solvere tamen, qui eximunt, tenentur exempti debitum (28): Quod autem idem dicendum aliqui de iis autumant, qui capite damnatum eximunt, ut illam scilicet ipsam persolvant poenam, quae exempto decreta jam fuerat, mihi perquam durum visum est semper, sicuti perquam dura Imperatorum Lex, quae id ipsum de Custodibus sanxit, ubi eorum incuria evasisset damnatus (29); neque, ubi dolo, *Carpzovius* contendit (30); atque hoc

(27) Quibus poenam restituit mortis *Lex* 30 *August.* 1695. §. 13., quam *Cod Leopold.* deleverat.

(28) *Leg. si per alium ff. ne quis eum, qui in Ius vocat.*, *leg. quoties Cod. de exactoribus tributorum*, *Farinac. quaest.* 32. *n.* 11., *Sabell. in pract.* §. *resistenza n.* 2

(29) *Leg. ad Commentariensem Cod. de custodia Reorum*; multa pecuniaris, vel talio statuta legitur apud Hebraeos *Reg lib* 3. *cap.* 20 *v* 39.

(30) *Pract. crim. quaest.* 111 *n.* 104., multo severius tamen puniendi, quam, ubi ex culpa;

idem de caeteris, qui exemerint, dicendum existimat cum *Farinacio* (31), quorum sententiae Lex nostra accommodavit sanctionem (32), illis ut supra exceptis, qui vel homicidium admiserint, vel perduellem scienter, et pravo juvandi consilio subtraxerint. Ad reliquos omnes quod spectat, qui Magistratuum praeceptis non obediunt (33), poenam ab illis repeti posse, quae eorum contumaciae fuerat indicta, nemini dubium est; quemadmodum

delinquunt enim in officio, atque illo abutuntur.

(31) *Quaest.* 3e. *n.* 93. 94., ubi eorum non rectam opinionem ostendit, qui ex *leg.* 1. *Cod. de iis, qui latrones etc.* aliter senserant; ex quo illud etiam aliunde innuit absoni, quod minus, quam par est, vis, et effractio quandoque plecteretur, quando videlicet ex levi delicto levissima poena maneret exemptum.

(32) Ad vim privatam revocavit *Paolettus* haec crimina ex *Cod. Leopold.*, qui alio sensu de vi publica edixerat. Delicta publica profecto sunt, quae tamen ex qualitate facti, et delinquentium consilio magis, minusve imputantur *Decian. tractat. crim. lib.* 7. *cap.* 11. *n.* 6. 9. 11.

(33) In eos, qui impediunt, quominus quis in Iudicio sistat, actio in factum competit, quanti interfuit eum sisti, qui in Iudicium vocatus fuerat *leg. ex hoc ff. de eo, per quem factum erit*; Vid. *Bartol. in leg. Filius ff. de dolo malo*, *Caball. resolut. crim. cas.* 273., qui impedientem testes actione de dolo teneri, et extraordinaria poena puniendum docet.

pecuniaria multa repeti a Vadibus potest, quam Rei favore spoponderint sistendi in Iudicio, et iudicatum solvendi, aut quid aliud servandi; quae enim poena corpus affligit Reum solummodo manet (34).

CAPUT XVIII.

De Carcere privato

XCVI. Carcer privatus a *Caravita* dicitur „ Locus omnis ab Homine privato custo„ diae designatus nulla fungente jurisdictio„ ne in Hominem captum „ (1); grave hoc pariter facinus, sive ad vindicandam aut veram, aut, quam ipse credit, injuriam quis carcerem privatum exerceat, sive, ut quod sibi debetur, aut deberi existimat, repetere intendat; qui enim hac ratione vim adhibet, id sibi usurpat, quod Magistratibus a Principe mandatum est, quodque Civitate composita nemini privato licitum, quin Civitas ipsa

(34) Ita nunc quidem; non olim ita: Vid. *Cic. de Offic. lib.* 3. *cap.* 10., ubi de vadimonio loquitur ab altero ex Pythagoreis favore alterius praestito, ut, si ipse non revertisset, moriendum esset illi: Hinc *Auson. in Technopaeg.* differentiam ponens inter Vadem, et Praedem Quis subit in poenam capitali Iudicio? Vas: Quid, si lis fuerit nummaria? quis dabitur? Praes.

(1) *Instit. crim. lib.* 4. §. 1. *cap.* 4. *n.* 1.

dissolvatur, et corruat „ Nihil est (inquit *Cicero*) exitiosius Civitatibus, nihil tam „ contrarium Iuri, et Legibus, nihil minus „ civile, et humanum, quam composita, et „ constituta Republica quidquam agi per „ vim „ (2).

XCVII. Privatum carcerem non eum solummodo exercere dicimus, qui in loco lautumiarum instar constructo, sed et qui vel compedibus, vel alia quacunque adhibita vi ita Hominem detinet, ut libertate careat (3), atque eo quidem consilio, ut sibi jus dicat, et auctoritatem usurpet, quae ipsi non inest, et Magistratibus pertinet: Ubi haec desint, privati carceris actio cessat: Qui tamen, licet privati, auctoritate aliqua pollent, veluti Parentes in Liberos, Mariti in effraenas Uxores, et reliqui omnes in sibi subjectos, aut eorum disciplinae concreditos, Praeceptores videlicet, et Ordinum Regularium (4) Antistites, privati carceris actione teneri nequeunt (5), cum ad correctionem inclusos hos, vel illas peccantes detinent (6) servato modo,

(2) *De Legibus lib.* 3. *cap.* 18.

(3) *Leg. succurritur ff. ex quibus causis major, Paolett. instit crim. lib* 3. *tit* 6.

(4) Horum carceres in Hetruria sublati fuerunt.

(5) Multo minus qui furiosum inclusum retinent; quin imo negligentes custodiam ii, quibus pertinet, culpae tenerentur, si interim vel sibi ipsi, vel aliis noceret *leg. Divus Marcus ff de officio Praesidis*.

(6) *Decian. d. lib.* 7. *cap.* 10.; De Clericorum

quem si excederent, abusum reprimere Politiae spectaret.

XCVIII. Ita pariter haec actio cessat adversus illos, utcunque privatos, qui scelestum in ipso crimine deprehensum retinent, atque custodiunt, eo sane proposito, ut Iudici quam citius offerant; ideoque non ultra bis denas horas nocturnas, sive diurnas detinuisse impune Iurisconsulti autumant (7), quod idem tempus Romano Iure concessum et Patri adulterae, et Marito legimus, qui peccantem deprehendissent adulterum (8); Lictoribus quoque itinere lassis congruens, et pro distantia locorum consimilis, major etiam quandoque, dilatio conceditur ad exhibendos captivos. Quod autem nonnulli existimant etiam in eum cessare actionem, qui debitorem non solum, sed furem, ipso instante ut publicam evadat poenam, domi custodiunt, donec reddat quod debet (9), nequaquam Legibus nostris accommodatur, quae furtum passos Iudicem adire jubent (10).

Uxoribus edixerat *can. placuit caus.* 33. *quaest.* 2.

(7) *Brunnemann in leg. neminem Cod. de exhibendis Reis n.* 5., *Farinac. quaest.* 27. *n.* 24., *Gomez. var. resolut. Tom.* 3. *cap.* 9. *n* 4.

(8) *Leg. capite ff ad leg. Iul. de adulteriis.*

(9) *Farinac. d. quaest.* 27. *n.* 30., *Guazzin. defens.* 5. *cap.* 7. *n.* 16

(10) *Leg.* 21. *Novembr.* 1639., *Leg.* 9. *Septembr.* 1681. § 25.

XCIX. Ad debitorem quod attinet, neque illum, licet consentiat, atque etiam instet, detinere privatim, ut interim solvat, Leges (11), multoque minus hodierni mores patiuntur: Durissima quidem olim apud Romanos ex xii. Tabularum Legibus debitorum conditio; si enim solvendo non essent, nec vindicem, qui fidem praestaret, haberent, in servitutem creditoris addicebantur, cui, ne aufugerent, licitum vincire eos nervo, aut compede ad xv. pondo; venundare etiam post datum tempus creditori concessum; in partes denique, ubi pluribus teneretur debitor, secare corpus (12): Verum haec immanitas fortasse instituta ad terrorem, nec unquam ad effectum perducta, ut notat *Gravina* (13), sectioni bonorum concessit locum, quemadmodum dura illa sublata servitus fuit, cautumque, ne debitores in posterum vincti nervo, aut compedibus tenerentur, ut habemus ex *Livio* (14); carceri tandem beneficium cessionis successit sub Imperatore *Alexandro* (15); carceres quoscunque privatos inhibuit *Zeno* (16); et ser-

(11) Ad *text. in leg. privatorum Cod. de jurisdictione omnium Iudicum*; *Carpzov. pract. crim. quaest*, 41. *n.* 124., *Caravit. d. cap* 4. *n.* 6.
(12) *Gell. noct. Attic. lib.* 20. *cap.* 1.
(13) *De orig. Iur. lib.* 3. *cap.* 98., *et lib.* 2. *cap.* 72., ubi verba Legis refert.
(14) *Histor. lib.* 8. *cap.* 24.
(15) *Leg.* 1 *Cod. qui bonis cedere possint.*
(16) *Leg. unica Cod. de privatis carceribus inhibendis.*

vitus exulavit omnino. Quomodo igitur toleranda pactio, quam Leges, et mores rejiciunt? (17).

C. Laesae Majestatis reos declaravit quoscunque *Zeno*, qui carcerem privatum exercuissent; hoc idem edixerant *Valentinianus*, *Theodosius*, et *Arcadius*, ut liquet ex Lege, quam *Gothofredus* refert (18), ea quippe ratione, quod Magistratuum auctoritatem usurparent, quam soli Principi tribuere spectat: In eum igitur, qui, non ut sibi jus dicat, quod Magistratibus pertinet, sed alio quocunque pravo consilio, quod ab iisdem abest, inclusum aliquem detinet, privati carceris actio, quemadmodum dixi, cessat, quidquid aliter nonnulli sentiant (19): Hinc qui foeminam libidinis explendae causa captivam retinet actione tenetur, quae descendit ex vi, ut inde crimen augeatur, cui jungitur (20); qui aliquem, praedonum, seu piratarum instar, ut pecunias extorqueat, actione criminis, quod Nostri minus latine Recaptum dicunt (21);

(17) Multo minus toleranda videtur ex eo, quod vix raro creditor opportunitate ductus, usuris indulgens, modum servaret.

(18) *In Cod. Theodos. lib. 9. tit.* 11.

(19) *Farinac., et Guazzin. loc. cit. etc.*

(20) Neque in meretricem vis licita *Menoch. de arbit. cas.* 291. *n.* 3., *Matth. lib.* 48. *ff. tit.* 4. *cap.* 2. *n.* 4., quidquid aliter senserit *Decius in leg. invitus ff. de regulis juris*.

(21) *Raynald. observat. crim. cap.* 14. *n.* 91., *Sarn. prax. crim. de probat. in gener. cap.* 1. *n.* 56.

Digitized by Google

atque ita porro de reliquis (22), adeo quidem. ut, ubi qualiacunque ab eo, qui vim adhibet, abeint primordia juris, quod Civitate composita Principis nomine Magistratus exercent, vis alio tendens privati carceris actione, propria saltem, vindicari nequeat (23).

CI. Ultimo plecti supplicio voluit *Zeno* privati carceris reos, sicut et Magistratus, qui illos persequi neglexissent scienter; frequens enim tunc temporis, apud Aegyptios praesertim, hoc crimen fuisse *Gothofredus* observat: Haec tamen severitas diu non obtinuit; nam ex *Iustiniani* Constitutione, quam Basilica Nobis suppeditant, poena privati carceris talio fuit, et Causae amissio (24): Progressu autem temporis in reos privati carceris poenae extraordinariae usus invaluit, et quidem apud Nos relegatio quandoque, ut testatur *Sabel-*

(22) Vid. *Leg. qui in carcerem ff. de eo, quod metus causa, leg. qui coetu, leg. Lege Iulia ff. ad leg. Iul. de vi publica.*

(23) Hoc ipsum innuere satis patet nuper cit. Imperatorum Legem, quae de Reis loquitur „ Siquis posthac Reum privato carcere destinarit „; hoc ipsum *Iustiniani* Legem, ut infra, quae Causam vigentem ponit inter detentum, et eum, qui detinet.

(24) *Leg. constitutio Cod. de privatis carceribus inhibendis* „ et tot dies eos manere in publico carcere, quot fuerit quis in privato ab eis „ inclusus, cujuscunque sit conditionis, vel dignitatis; amittere etiam eos Causam, quam „ habent adversus inclusos „

lus (25), quandoque etiam pecuniaria obtinuit mulcta (26); extraordinaria pariter in eos invaluit poena, qui alia quacunque specie violentiae jus sibi dixissent (27); neque enim pravo illo consilio hi, atque illi delinquunt, quo perduelles, seu Majestatis primi capitis rei, nec unquam usu recepta legitur patria Lex anni 1744. qua in parte vim facientibus, ut sibi jus dicerent, mortis poenam indixerat: Pro qualitate tamen admissi etiam ultra relegationem plecti eos posse nec minimum dubitandum videtur, praesertim vero, si ad verbera, et vulnera saevitiam perduxerint; et quoniam litem ipsos perdere Iura voluerunt, hinc pecuniam, licet debitam, quam forte exegissent, aut pignus, vim passus repetere ab illis potest (28).

(25) *In summ. §. carcer n.* 3.
(26) *Paolett. instit. crim. lib.* 3. *tit.* 6.
(27) *Paolett. d. lib.* 3. *tit* 3.; plura hujus generis violentiae exempla habet *Matth ex text. d. tit.* 4. *sup.* 3.
(28) *Brunnemann in leg. extat ff. de eo, quod metus causa n.* 7.

FINIS LIBRI II.

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 12. lin. 6.	Non	Non
32. 12.	est	est,

Siquid aliud irrepserit, sapiens Lector emendabit.

Digitized by Google